

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Revelatvm Sacro-Sanctae Trinitatis Mysterivm Methodo  
Demonstrativa**

**Carpov, Jakob**

**Francof., MDCCXXXVII**

**VD18 13001868**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16890**

2. 2

REVELATVM  
SACRO - SANCTAE  
TRINITATIS  
MYSTERIVM

METHODO DEMONSTRATIVA  
PROPOSITVM  
ET  
AB OBIECTIONIBVS DISSIDENTIVM VARIIS  
VINDICATVM  
INDICE SIMVL ADIECTO

AVCTORE  
IACOBO CARPOVIO  
PHIL. MAG.

---

EDITIO ALTERA EMENDATIO.

---



---

CVM PRIVILEGIO S. REG. MAL. POL. ET ELECT. SAX.

---

FRANCOF. & LIPSIAE  
Sumptibus IOH. ADAM. MELCHIOR.  
M D CC XXXVII.





Farbkarte #13

B.I.G.  
Black

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



V I R O  
MAGNIFICO ET SVMME VENERABILI  
D O M I N O  
ERNESTO SALOMONI  
CYPRIANO

THEOLOGIE DOCTORI VTI CONSVMMMA-  
TISSIMO ITA LONGE CELEBRATISSIMO  
SERENISSIMI DVCIS SAXO-GOTHANI A CON-  
SILIIS ECCLESIASTICIS ET CONSISTORIALIBVS PERQVAM  
MERITISSIMO RELIQA

MÆCENATI ET PATRONO

SVO

AD VRNAM VSQVE OBSERVANTIA SVMMA  
PROSEQVENDO

OPVSCVLVM HOC THEOLOGICVM

IN

CVLTVS DEVOTI TESSERAM

SACRVM ESSE IVBET

MAXIMI NOMINIS

CVLTOR OBSEQVENTISSIMVS

IACOBVS CARPOV.



# VIR MAGNIFICE

ET SUMME VENERABILIS  
MÆCENAS PIETATE SUMMA  
PROSEQVENDE

**I**mmortali NOMINI TVO quod opusculum hoc Theologicum dicatum consecratumque esse voluerim, si opus audacia plenum, si dignum reprehensione, & recte quidem, iudicas, non operis magnitudinem, non genus scribendi elegans politumque, non pretium proprio labori ultra meritum statutum, sed præter observantiam, qua multis abhinc retro annis humillime TE profecutus sum, solum Nominis Tvi decus splendidissimum, cum dignitate doctrinæ, quam proposui, collatum, huius rei mihi auctorem fuisse, sis persuasus, velim.

Arduum enim, & ni fallor, difficultatibus vndique circumseptum opus aggredior. Doctrinam, quæ fidei nostræ caput & fundamentum est, doctrinam mysterii plenissimam rationique sibi relictæ imperuam, cuius momentum quodlibet & olim & hodie infinita fere peperit sententiarum diuortia, & quæ dubiis sane intricatissimis obnoxia deprehenditur, noua methodo & ita proponere ausus sum, vt non solum, planissimo inuictarum veritatum nexu ante oculos posito, assensus menti pertinaciter  
non



non refraganti extorqueatur, sed fontes etiam difficultatum errorumque, & quod sequitur inde, dissensionum obstruantur.

Cui conatui quousque euentus responderit, TE iudicem, TE arbitrum mihi expeto. Siue enim ad profundissimam mentis TVÆ aciem attendam, siue æquitatis, qua fulges, summæ rationem habeam, neutrum non spem & verissimi & æquissimi iudicii mihi facit.

TVVM enim in rebus Theologicis acumen, TVAM in monumentis Ecclesiasticis peritiam incomparabilem, scripta TVA nihil, quod tritum & vulgare sit, sed animum ultra communem sortem elatum sapientia, TVVM pro veritate Euangelica sancte pieque conseruanda ardorem, gratiam denique, qua veræ sapientiæ amatores complecteris, maximam ita non Ecclesia solum, sed totus eruditorum orbis veneratur, & ita mirabitur sera posteritas, vt mihi verendum sit, ne verbis, tanto nomine indignis, famam gloriamque TVAM obscurem potius, quam illustrem.

Sane ex scriptis TVIS eruditissimis, quæ ex faucibus obliuionis immortale nomen TVVM eripuerunt, plura, quam rei necessitas exigit, suppetunt argumenta, quibus eis, quæ modo dicta sunt, fidem conciliare possem. Sed quid opus est, verbis copiose roborare velle, quod res ipsa, vel me tacente, loquitur? Quid, inquam, verborum opus est ambagibus in confirmando illo, quod apud omnes in confesso est? Taceo, modestiam, quæ in TE est, summam de meritorum TVORVM gloria silentium mihi potius, quam amplam eorum enarrationem, licet pro veritate instituendam, imperare.



Quantopere autem perfectionum TVARVM splendor  
me in magni NOMINIS TVI admirationem cultumque ra-  
pit : tantopere TVVS me TIBI fauor reddidit obstrictum.  
Non enim sine animi iucunditate recordor illius tempo-  
ris, quo ab ore clarissimorum Illustris Gymnasii Gothani  
doctorum olim pendentem, beneuolentia TVA me orna-  
sti. Sed nec posthæc eadem me recreare & protegere,  
visitantemque TE humanitate, animo TVo generoso di-  
gna, excipere, dedignatus es, prouti eminentium Viro-  
rum indoles est, vt e suo conspectu lætos potius, quam  
tristes alios abire iubeant.

Quibus omnibus publicum summæ, qua TE ab ine-  
unte ætate profecutus sum, obseruantia documentum  
postulantibus, lucubratiunculas has, quas deuota mente  
offero, fronte serena & fauente manu accipias, qua pos-  
sum, verecundia reuerentiaque rogo & contendo. Profi-  
ciscuntur enim ab animo veritatis cupido & amplioribus  
conatibus intento, ad quos vltimus alacriter persequendos  
calcaris instar mihi erit, si vel conatum in hoc TIBI non  
displicuisse, TEque in posterum quoque occupationibus  
meis litterariis Fautorem fore, intellexero.

Deus O. M. VIR MAGNIFICE, in PRINCIPIS SE-  
RENISSIMI leuamen, in Ecclesie orbisque litterati de-  
cus, in Musarum nostrarum præsidium, inque omnium,  
qui TVAM opem expectant, solatium saluum TE super-  
stitemque diutissime esse iubeat. Vale & gratia, qua ad-  
huc dignatus es, me ornare perge. Dabam Iena prid.  
Cal. Febr. M D CC XXXV.





LECTORI BENEVOLO S. P.

**D**E rationis in mysteriis usu digna, quæ considerentur, verba sunt Viri post fata magni IO. CHRISTOPH. PFAFFII in Append. ad Theodori Thummii Synopsin Theolog. p. 582: *Sine ratione quidem, inquit, ut norma, iudice & arbitro, non tamen sine recta ratione, ut organo, de mysteriis differit Theologus.*

Dictum Pfaffii de usu rationis in mysteriis.

Est hic, quod prohibetur, est, quod permittitur. *Utrumque* vere, non sufficienter dictum esse, arbitror. *Norma, iudex & arbiter ratio in mysteriis non est.* Fatentur hoc omnes, qui mysteria fidei profitentur. Quid enim est mysterium, nisi veritas supra rationem? Quid, nisi talis supra rationem veritas, cuius modum possibilitatis non plene comprehendimus? Iam si rationem sibi relictam mysterium fugit, si semper in illo supersunt, quæ mensuram cognitionis nostræ, saltem in hac vita, supergrediuntur, rationem pro iudice, rationem pro arbitro veritatis in mysteriis assumere, quid est aliud, quam prouocare ad iudicem incompetentem?

Ratio non est iudex veritatis mysteriorum.

Novi, dari veritatis unius ad alteram, per conclusionis vel principii modum, respectum. Omnium nexum dari, non ignoro. Fateor hinc, ipsas quoque veritates, quæ mysteria constituunt, in illo omnium veritatum nexu comprehendere. Nec, intellectum perfectissimum plenissime ea perspecta habere, dissimulandum est. At nos cognoscimus ex parte & quasi per fragmenta. Quæ in se maxime completa sunt, incomplete cognoscendo tangimus. Sapere hinc possumus in mysteriis ex Scriptura, non extra, non contra illam.

Vnum





Attamen  
interdum  
falsitatis.

Vnum hic est, quod arbitror addendum. Ratio sana norma, iudex & arbiter non est *veritatis* mysteriorum, est tamen certo sensu *falsitatis*. Repugnancia falsa, nec hinc de fide esse, fatentur omnes, qui usum rationis sanæ non abiecerunt. Sed an aliquid repugnans sit, propositiones, notione que inter se comparando, ratio bene instructa iudicat. Hinc licet ratio de veritate mysteriorum, utpote quæ ex sola S. Scriptura cognoscenda est, iudicium ferre nequeat; potest tamen de fictorum falsitate. Quod enim repugnans est, verum mysterium esse nequit.

Si dubitas, attendas quæso ad argumenta, quæ Nostrates fictæ Pontificiorum transubstantiationi opponunt. Impugnant illam, & recte quidem, ex reuelatione, sed impugnant etiam ex ratione. Repugnans esse, dicunt, ut adsint omnes panis affectiones, nec eius substantia, quia affectiones ipsi substantiæ inesse & inhærere debent. Quid hoc est aliud, quam quod ratio sana de falsitate ficti iudicet mysterii?

Cautio.

Cauendum est autem, ne ratio pro repugnante habeat, quod tale non est. Præcipitat interdum iudicium immaturum de eo, quod non intelligit. Exemplo sunt nobis Socini adflectæ. Heu! quot illi obiectionum fictarumque contradictionum arietes admouerunt, ad generationem filii Dei infringendam! Quot ad Trinitatem in Deo de throno suo sanctissimo deturbandam! Sed magno conatu nihil agunt.

Ratio in  
mysteriis  
habet v.  
sum orga-  
nicum.

Alterum, quod concedit Vir laudatus, est: *non sine ratione sana, ut organo, de mysteriis differere Theologum*. Vno sunt plura, quæ hoc verbo indicantur. Organi vice sana ratio fungitur in mysteriis primo in effatis S. Scrp. vnde mysteria eruuntur, recte explicandis. Scripturam secundum regulas hermeneuticas explicandam esse, neminem fugit. Sed quis docet? quis illas explicat? quis ad illarum ductum genuinum sensum eruit, nisi ratio, diuino licet lumine collustrata? Deinde ex effatis Scripturæ, recte explicatis, dogmata Theologica, & ipsa mysteria deriuamus. Ratiocinando hoc fieri, experientia constat. Ratiocinia autem, & ipsas, secundum quas recte dirigi debent, regulas opus rationis esse, in confesso est.

Super-



Supereft tertium, in quo ratio in myfteriis organi loco fungitur. Ipfarum veritatum, quæ ad myfterium pertinent, datur nexus. Vna ex altera propofitione eft conceptibilis. S. Scriptura ipfas quidem veritates inculcat, non oftendit ferie continua illarum nexum, quia data occasione de hac vel illa veritate agunt fcriptores facri. Accedit ratio, & propofitiones comparando, quænam principii, quænam conclufionis loco habenda fit, iudicat, & ita ipfarum, licet reuelatarum, veritatum nexum perfpicit & oftendit.

Vnum quoque huic, mea quidem fententia, addendum eft. Et materi-  
alem. Ratio in myfteriis non folius organi loco eft. Veritates myfterio-  
fa quidem inter fe nexum habent; fed deficiunt interdum propo-  
fitiones intermedia, in S. Scriptura totidem verbis non contenta, ad  
nexum tamen plene oftendendum neceffaria. Ratio illas fupplet,  
quemadmodum dudum agnouerunt Theologi, illas quoque con-  
clufiones, in quibus vna præmiſſa reuelationis, altera rationis eft,  
non fidei humanæ, fed diuinæ eſſe; & HEBENSTREIT in Syſt.  
Theol. Præf. *principia rationis materialia, aut phyſicam, aut mo-  
ralem euidentiam in ſe continentia, in argumentationibus Theologicis,  
ex Scriptura S. inſtitutis, etiam iis, quarum conclufio mere Theologica  
& de fide eſt, vtiliter recteque uſurpari, proſitetur.*

Campus dicendorum ampliffimus hic ſe offert, ſed ab inſti- Transitus.  
tuti ratione alienus. Propero ad inſtitutum. Quæ paucis iam de  
uſu rationis in myfteriis dicta fuerunt, eorum plura exempla in ipſo  
hoc opere deprehendet lector attentus.

Scilicet altera iam vice, licet non ſub diſſertationis habitu, in Auctor i-  
terat edi-  
tionem  
diſſertati-  
onis de  
Trinitate. lucem prodit diſſertatio *de S. S. Trinitatis myſterio*, quam Anno P.  
C. N. MDCCXXX, præſide Viro ſumme venerabili, IEſAIA  
FRIDERICO WEIſſENBORNIO, S. Theologiæ Doctore  
& Profeſſore P. O. longe celeberrimo, SERENISS. DVCI  
SAXO-ISENACENſI a conſiliis eccleſiaſticis & conſiſtoriali-  
bus, eccleſiarum ditionis Ienenſis Superintendentente, & ad ædem S.  
Michaelis Paſtore Primario meritiffimo, vt & Mæcenate & Patro-  
no meo, omni pietate & obſeruantia ad cineres vsque colendo, in  
memoriam exhibitæ Auguſtanæ Confeſſionis, Eccleſiæ noſtræ ci-  
melii,



Quid in  
noua edi-  
tione pra-  
eterit?

melli, saecularem, & ad illustrandum primum eiusdem articulum, publice defendi. Exemplaribus enim illius omnibus, opinione citius, in orbe eruditorum distractis, per duos annos, & quod excurrit, iam secunda editio desiderata fuit. Pio desiderio, & ad veritatis stabiliendae incrementum vergenti, deesse, religioni duxi; nec tamen sine augmento oculis eruditorum illam exponere volui. Hinc non solum, paucis emendatis, ipsis paragraphis passim quaedam, ad veritatem amplius confirmandam vel explicandam facientia, inserui, sed etiam, ne ordo paragraphorum turbaretur, adeoque editio secunda priori plane dissimilis redderetur, non quidem dissertationem nouis paragraphis, attamen hos, ubi visum fuit, locupletissimis obseruationibus theticis, polemicis, exegeticis, historicis, philosophicis, quas generali scholiorum nomine denotare placuit, ita auxi, vt accessiones ipsam fere dissertationem mole excedant. Nunquam enim satis hoc exhauriri potest mysterium profundissimum.

In primis in altera hac editione in id operam contuli, vt & doctorum, probationis causa allatorum, sensum genuinum ope exegeseos eruerem, & retunderem aduersariorum tela. Quamuis enim per demonstrationem veritas stabiliatur satis, habere se tamen putant, cur dissentiant aduersarii, quam diu dubia eorum nondum confurata & euersa sunt. Eo minus autem in facilioribus tantum huius dogmatis haerendum, & difficiliora intacta relinquenda esse, arbitratus sum, quod obiectiones aduersariorum multae tam plenae sunt tricarum & difficultatis, vt facile imperitorum mentes illis turbari, & in veritate vacillantes reddi queant. Et quia ad obiectiones eiusmodi confurandas saepe utiles deprehendi Scholasticorum subtilitates, non nulla etiam ex Theologia Scholastica, ad rem facientia, adoptanda fuerunt. Bene enim vir quidam magnus, *in fimo*, inquit, *scholasticorum multum auri interdum latitare.*

In omnibus doctrinae puriori, & a vera Ecclesia receptae, & S. scripturae testimonio suffultae, studui; licet principia philosophica recentiora magnam vtilitatem attulerint. Inter cetera autem ad ea, quae de voluntate in Deo personali docui, animum ad-

uertat



uertat velim Lector Beneuolus, quia ab aliis, quantum scio, hæc doctrina ea euidentia pertractata non est. Et si contingat, vt ro-  
bore argumentorum victus, sententiæ meæ assensum præbeat, erit,  
in quo mihi gratuler; si minus, cedam veritati, in partem contra-  
riam argumentorum pondere stabilitæ. Non enim, quæ ab aliis  
non dicta sunt, si nec S. scripturæ testimonio, nec sanæ rationis  
principiis aduersentur, & illa ad veritatem maiori luce perfunden-  
dam faciant, dicere, in Theologia illicitum esse, arbitror.

Totum opusculum quatuor capitibus absolvitur. Capite 2. Diuisio  
operis.  
ad S. scripturæ ductum, & sub terminis, Ecclesiæ receptis, c. 3.  
Trinitatem proposui. At quia methodus, quam sequor, postulat,  
vt a primis demonstrandi principiis fiat initium, prætereaque in  
omnibus fere arduæ huius doctrinæ capitibus ab aliis est erratum:  
c. 1. principia proposui demonstrandi, & c. 4. errores, in hac doctri-  
na commissos, licet succincte, enarraui.

Cum in fine huius laboris versarer, commode mihi in manus Accessit e-  
pistola  
Wissowa-  
tii cum re-  
sponse  
duplici.  
incidebat epistola WISSOWATHII, viri inter Socinianos satis  
clari, contra trinitatem directæ, in qua ipse iam Ill. Leibniti-  
us ingenii summi exercuit refellenda. Quia vero dubiorum acu-  
tissimorum felicem solutionem ex principiis, a me supra positis,  
perspiciebam fore, ipsam epistolam sub finem opusculi cum re-  
sponse Leibnitiana & mea adieci, vt, a qua parte stet veritas,  
& consentientes & dissentientes iudicare queant.

Nec arbitror, fieri posse, vt cuiquam offensionem sit, quod hanc Defendi-  
tur appli-  
cacio me-  
thodi de-  
monstrati-  
uæ.  
tanti momenti rem methodo demonstratiua proponere, iam in pri-  
ma editione constituerim. Quid enim est aliud, methodo demon-  
stratiua veritates proponere, quam proponere ita, vt ex præmissis  
principiis indubiis legitime, secundum regulas Logicas, veritates  
deriuentur, ita vt nexus, qui inter veritates intercedit, non solum  
perspiciatur, sed etiam nec in principiis, nec in modo concluden-  
di quidquam cum ratione excipere liceat? Principia eiusmodi indu-  
bia in Philosophia sunt definitiones, axiomata, experientia, qui-  
bus in Theologia reuelata accedunt effata S. scripturæ perspicua,  
i. e. talia, quæ, saluis regulis interpretandi, non possunt in plures



fensus detorqueri. Cur igitur non liceat, & ad alios rectius convincendos, veritates Theologicas ita proponere? Nec est, cur, fieri id non posse, arbitremur. Dum enim certas habemus rerum Theologicarum in Theologia notiones, adsunt, dummodo notiones illæ distincte debiteque proponantur, definitiones, ex quibus axiomata formari possunt. Adsunt præterea experientia ipsorum scriptorum S., ea, quæ viderunt, & audiuerunt, ex Θεοπνευσία nobis exponentium 1. Ioh. I, 3. Adsunt clarissima S. scripturæ dicta. Adest, ut ipsa fidei nos docet analogia, certus veritatum Theologicarum nexus, quem ita, uti vera Logica præcipit, legitime ratiocinando licet perspicere. Vnde cum & principia & forma demonstrationis in Theologicis adhiberi queant, nihil, quin veritates Theologicæ methodo demonstratiua tradi queant, obstare, arbitror.

Consensus  
Heben-  
streiti.

Quisquis de hoc dubitat, is probe perpendat velim verba IO. PAUL. HEBENSTREITI in Syst. Theol. Praefatione: *in primis inquit, omnem adhibeo operam, ut solidas demonstrationes Theologicas contexam, h. e. ex principiis veris, certis ac necessariis conclusiones legitime deducam Theologicas, in quibus nexus extremorum necessarius, ex istis oriundus principiis, clarissime eluceat. — Scilicet eorum, qui scientia exquisita titulum, demonstrandique artificium Reuelata Theologia abiudicant, sententiam immane quantum accuratiori doctrinarum Theologicarum traditioni nocere persuasus sum. Inde enim fit, ut opinionis illius sectatores præcepta Theologica homiletice verius, quam acromaticè methodoque scientifica excolant, plausibili illa excusatione vsi, Theologiam ad scientiarum classem minime referendam, atque adeo nec demonstrationum methodique exquisitoris ἀριστεράν ibi expectandam esse. Ast nosse ac perpendere illi debebant, aliam docendi rationem Episcopis & Pastoribus, aliam Doctoribus Theologiae academicis, illis quidem, uti B. Argidius Hunnius scite observat, popularem, seque totam ad rudis plebecula captum demittentem, his vero, cum delectam, bonisque literis & artibus vacantem iuuentutem erudiant, accuratorem subtilioremque convenire, atque in diuerso illo doctrinas sacras tradendi pacto fundari discrimen, quod inter Pastores & Doctores in primitiua ecclesia florentes, quos Paulus Ephes. IV, 11. inter varias in Ecclesia adificationem a Christo institutas functiones refert, oppido intercedit &c.*

Monitum.

Quod restat, a te, L. B., ut, antequam iudicium de conatibus hisce feras, & genuinam principiorum nostrorum conditionem & ipsum demonstrationis nexum mente attenta voluas reuoluasque, peto; quo facto, fore, ut eis calculum tuum adiicias, ei que, qui te colit, faueas, spero. Vale.

CAPVT





CAPVT I.

CONTINENS PRINCIPIA QVAEDAM DEMONSTRANDI, EX RATIONE ET REVELATIONE EDVCTA.

**I**mpossibile est, idem simul esse & non esse.

§. I.

Principium contradictionis.

Scholion. Hanc propositionem, quæ principium contradictionis vocatur, esse principium cognoscendi indemonstrabile, ex scholis metaphysicorum constat.

§. II. Ratio dicitur id, ex quo cognosci potest, cur sit aliquid; & sufficiens dicitur ratio, qua posita nihil amplius ad rem requiritur. Nihil autem est sine ratione sufficiente.

Principium rationis sufficientis

Scholion I. Ut propositionis huius demonstrationem hoc loco adiungam, nec instituti mei ratio iam permittit, nec necessarium esse, arbitror. Ut enim silentio præteream meam de rationis sufficientis principio dissertationem, in qua de utroque iam dicto cognoscendi principio copiosius est actum; nec mentionem faciam eorum, quæ in philosophia recentiori solide de hoc principio disputantur: non desunt iam, qui, necessitate & utilitate illius perspecta, non dubitant, illud inter prima cognoscendi principia, ab ipso Deo menti humanæ impressa, referre & defendere; in quibus Vir doctissimus IO. GVSTAV. REINBECK in sermone sacro s. r. die von dem Königschen unter den Gehorsam des Glaubens gefangen genommene Vernunft, an. 1730. divulgato, p. 16. seq. ut & in den Betrachtungen über die Augsbürgische Confession I. Th. I. Betracht. S. 13. & in 2. Th. Vorrede S. 42. sqq. nomen suum profiterur. Et quamuis Vir s. r. IOACH. LANGIVS in 130. Fragen aus der Mechan. Phil. p. 82. sqq. in sinistram fatalitatis sensum illud detorquere laboret, dubiis tamen eius a CARPOV. de Trinitate.

Consensus aliorum.

A

me



me satisfactum & genuinus huius principii sensus est explicatus in der nöthigen Antwort §. 169. sqq.

An hoc  
principi-  
um præ-  
mitten-  
dum.

Scholion 2. Si quis est vero, qui malum & peruersum iudicat esse, ut initium tractatus, methodo demonstratiua conscribendi, & in quo propter demonstrationis nexum ad principium contradictionis & rationis sufficientis prouocandum est, ab iisdem principiis fiat, eo ipso, se methodi illius veram indolem non perspectam habere, prodit. Id enim hæc postulat methodus, ut principia anteponantur conclusionibus, & hinc primo omnium principio primus locus concedatur.

Progressus  
in infini-  
tum nega-  
tur.

§. III. Quando in analysi rationum rei semper ulterius quaerendum est: vnderes sit? & quaestio hæc nondum potest fisci, semper adhuc aliud quid requiritur ad id, ut cognoscatur: cur & vnde sit? adeoque ratio nondum est sufficiens (§. 2.). Sed nihil est sine ratione sufficiente (§. 2.) Hinc in analysi rationum tandem ad aliquid est perueniendum, in quo sistatur quaestio: vnde res sit? *Nota igitur datur progressus causarum, vel rationum in infinitum.* Progressus enim in infinitum dicitur, quando in analysi rationum nunquam peruenitur ad tale quid, in quo fisci potest quaestio: cur res sit?

Exem-  
plum.

Schol. 1. Exemplum negati progressus rationum in infinitum præbent demonstrationes mathematicorum, vel more mathematicorum adornata. In his enim non quidem præmissas minus euidentes sine ulteriore probatione assumere, licet; attamen nec series probationum sine fine progreditur, sed sistitur tandem in ipso contradictionis principio; uti iam annotauit ARISTOTELES Met. l. 3. c. 4.

Resolutio  
dubii.

Schol. 2. Non autem sine specie hic opponi posse videtur: aut progressum in infinitum esse admittendum, aut principium rationis sufficientis exceptionem pati. Namque si omne ens habeat ulteriorem sui rationem per rationis sufficientis principium, oriri progressum in infinitum; quodsi vero sit ens, in quo sistatur quaestio: vnde res sit? illud non habere rationem sui ulteriorem, adeoque principium rationis sufficientis exceptionem pati. At vero dum omne ens rationem sui vel habet extra se in alio, vel in se ipso, scilicet in absoluta sui necessitate, nec in infinitum progrediendum, nec exceptio principii rationis sufficientis admittenda est, si admittatur ens absolute necessarium. In hoc enim quaestio: vnde res sit? tandem debet fisci, quia absolute necessarii ratio ulterior postulari nequit.

§. IV.



§. IV. Primum illud, quod de re cognoscitur, & vnde ratio reliquorum, quæ ei insunt, vel inesse possunt, redditur, dicitur *essentia entis*. Quidquid autem ex essentia entis sequitur, id dicitur *attributum* eius. Cum autem nihil prius de ente cognosci possit, quam possibilitas eius intrinseca vel specifica, i. e. illud, per quod præcise est ens hoc, nec aliud quodcunque, & per quod differt a reliquis omnibus; siquidem per id ipsum cognoscitur, vt ens tale, nec aliud: *in possibilitate illa entis specifica essentiam eius perspicere posse*, arbitror.

Quid essentia, attributum

Scholion. Voco illud, per quod ens est præcise hoc ens, nec aliud quodcunque, & per quod differt a reliquis omnibus, possibilitatem eius intrinsecam vel specificam, quia per illam ipsam potest esse ens hoc, nec aliud, & si ad existentiam deducatur, etiam est. Sic e. g. essentia trianguli possibilis consistit in eo, vt spatium tribus lineis comprehendi queat, actualis autem, vt spatium tribus lineis actu comprehendatur, quia per hoc ipsum esse potest, vel actu est triangulum.

Exemplum.

§. V. *Ens infinitum reale est ens, in quo sunt omnia simul*, quæ eidem actu inesse possunt.

Quid ens infinitum.

Scholion. Quia veritas huius definitionis demonstranda nimis nos ab instituto nostro dimoueret, remitto ad Ontologiam Lat. III. WOLFFII §. 838. id vnicum addens, definitionem de absolutis i. e. illis, quæ enti infinito reali competunt in se, non habito respectu ad aliud; non de re latius i. e. illis, quæ ei, habito ad aliud respectu, & quidem in tempore competunt, esse intelligendam.

Consensus.

§. VI. *Ens igitur infinitum 1. omnes habet perfectiones compossibiles*. Si enim non haberet omnes compossibiles, possent adhuc nouæ quædam accedere, adeoque non, quidquid ei actu inesse potest, inuisisset simul. Dicimus autem compossibiles, i. e. quæ simul in eodem subiecto possunt esse sine contradictione. Contradictoria enim simul in eodem subiecto esse nequeunt. 2. *easque omnes in summo, vel potius sine vlllo gradu*. Alias enim posset gradus perfectionis augeri, siquidem gradus, per experientiam, sunt in se variabiles; adeoque rursus quidquid ei inesse potest, non inuisisset simul; quod tamen esse debet (§. 5.).

Idem continuatur.

Schol. I. Conferatur Cel. BULFINGER in Dilucid. de Deo, anima & mundo §. 407.

A 2

Consensus Schol.





Confir-  
matur vl-  
terius.

Schol. 2. Hinc recte etiam dici potest: *quodcunque ens habet omnes perfectiones compossibiles in summo, vel potius sine ullo gradu, id est ens infinitum.* Nam omnis definitio, & conuenienter definitio entis infiniti realis §. 5. data, teste Logica, simpliciter potest conuerti. Cum vero in locum definitionis de ente infinito reali substituere liceat id, quod ex omnibus determinationibus eius simul sumptis sequitur, scil. habere omnes compossibiles summasque perfectiones, recte dici potest: quodcunque ens habet omnes compossibiles summasque perfectiones, id est ens infinitum, pariter ac recte dicitur: in quocunque ente sunt omnia simul, quæ eidem actu inesse possunt, id est ens infinitum reale.

Quid ens  
a se?

§. VII. *Ens a se* dicitur, quod habet existentia suæ rationem sufficientem in se. Quia igitur de ratione existentia quæritur, existentia autem & possibilitas generatim in ente discernuntur: ens a se rationem existentia suæ in possibilitate sua habet, i. e. possibilitas eius, si tale datur, existentiam includit, vt non aliter sit possibile, quam vt existat. *Existere igitur debet absolute necessario.* Nam cuius oppositum est impossibile per se, id dicitur absolute necessarium. Et pariter patet, *ens a se rationem existentia suæ in essentia sua habere (§. 4.).*

Cur exi-  
stat ens a  
se?

Scholion. Nempe si quærat: cur existat ens a se? ratio existentia ipsius vel in ipso vel extra ipsum in ente alio, ab ente a se diuerso, quærenda est. In ente alio quæri non potest, quia hoc definitioni entis a se aduersatur. Vnde non potest non in ipso ente a se quæri. Quia autem in ipso possibilitas & existentia tantum generatim discernuntur, ratio existentia ipsius vel erit in existentia ipsa vel in possibilitate eius. In existentia ipsa ratio existentia non potest quæri; quia alias existeret, quia existit; quæ resolutio aduersatur rationis suffic. principio (§. 2.). Non igitur non potest ratio existentia entis a se in possibilitate eius, dicta ratione h. e. ita, vt possibilitas eius existentiam includat, & non aliter sit possibile, quam vt simul existat, quæri.

Datur ens  
vel entia a  
se.

§. VIII. Mens & mundus existunt, experientia teste. Ratio igitur sufficiens existentia mentis & mundi debet dari (§. 2.), scilicet talis, vt sistatur quæstio: vnde sint? (§. 3.). Ast si dantur tantum entia, rationem existentia suæ habentia extra se, non datur talis ratio sufficiens existentia mentis & mundi; quia de eiusmodi entibus semper ulterius est quærendum: vnde & cur sint?  
Hinc



Hinc vnum vel plura debet vel debent esse ens vel entia, quod vel quæ rationem existentia suæ habeat, vel habeant in se. Ergo datur vel dantur vnum vel plura ens vel entia a se (§. 7.).

Scholion. Posui distinctionem inter ens vnum & entia plura a se, vt defensoribus polytheismi præcludatur exceptio: quid si plura entia a se dantur? vti inferius patebit.

§. IX. *Ens* vnum dicitur *independens* ab alio, quatenus eius, quod ipsi tribuitur, ratio extra ipsum in alio non continetur; vti e contrario ens vnum dicitur *dependens* ab alio, quatenus ratio eius, quod ipsi tribuitur, extra ipsum in alio continetur. Hinc dum *ens a se* rationem sui habet in se, non extra se (§. 7.), illud est *independens*.

Ens a se est independens.

Scholion. Ita vox dependentia sumitur in sensu generali. Sed ad dependentiam propriam etiam refertur, vt dependens & id a quo dependeat, essentia, saltim numerica, differant.

Quid ad dependentiam propriam requiratur,

§. X. *Nec extra ens a se, nec in illo* datur ratio sufficiens determinationis certorum graduum. *Non extra illud*; alias enim non esset ab omnibus independens, quod est (§. 9). *Nec in illo*: si enim in ente a se est ratio sufficiens determinationis certorum graduum perfectionum eius, erit illa vel in essentia entis a se, quatenus *ens est*, vel quatenus *ens a se est*. *Non quatenus ens est*, quia essentia entis a se, vt entis (i. e. generice dicta), infert tantum possibilitatem (§. 4.), adeoque respectu graduum, quos habeat ens a se, est indifferens, vt maiorem vel minorem gradum perfectionum suarum habere possit, & tamen manere ens, vti se res habet e. g. in intellectu nostro, item eruditione; *nec quatenus ens a se est*; vt tale enim, inuoluit tantum existentiam eius, quod per essentiam est possibile (§. 7.). Sed gradu certo supposito, non omne id, quod per essentiam eius possibile est; habet existentiam. Vbi autem non adest ratio sufficiens determinationis certorum graduum, ibi nec illi adsunt (§. 2.). Ergo *ens a se habet, quidquid habet, non in certo aliquo & determinato gradu, sed absolute & sine gradibus, siue in summa perfectione*.

Habet perfectiones summas.

§. XI. Pariter *nec in ente a se, nec extra illud* datur ratio

Et omnes compossibiles.



sufficiens, cur quasdam perfectiones compossibiles habeat tantum, nec omnes. *Non extra illud*, quia est ab omnibus independens (§. 9.). *Nec in illo*. Si enim in illo datur ratio sufficiens, cur quasdam tantum, nec omnes perfectiones compossibiles habeat, vel dabitur in essentia eius generice, *quatenus ens est*, vel *quatenus ens a se est*. *Non, quatenus ens est*. Nam eatenus essentia eius consistit tantum in possibilitate (§. 4.), plures autem perfectiones possibiles supponuntur. *Nec quatenus ens a se est*, quia entis a se, ut talis, essentia postulat tantum possibilium actualitatem (§. 7.). Vbi autem non adest ratio sufficiens, cur ens habeat quasdam attributa compossibilia tantum, nec omnia, ibi ens illud habet omnia, vel nullum (§. 2.). Ergo ens a se habet vel omnia attributa compossibilia, vel nullum. Sed non nullum; alias enim ne quidem ens esset, quod est tamen (§. 8.). Ergo *ens a se habet omnia attributa compossibilia*.

Scholion. Ratio autem, cur entia se competant omnes summæque perfectiones, quia non potest esse extrinseca (§. 9.), debet in ipsa eius essentia latere, ut non aliter possibile sit, quam cum complexu omnium summarumque perfectionum (§. 4.).

Est ens infinitum & vice versa. §. XII. Dum ens a se habet omnes perfectiones compossibiles in summo, vel potius sine ullo gradu (§. 10. 11.), *ens a se est ens infinitum* (§. 6. Schol. 2.). Et pariter *ens infinitum reale est a se*, quia imperfectio esset, rationem existentia suæ in alio habere, nullam autem imperfectionem id admittit (§. 6. 7.).

Demonstratio a-ri. *Ens infinitum* habet omnes & summas perfectiones (§. 6.). Hinc *habere etiam debet existentiam absolute necessariam*, quia existentia in se est perfectio, & absolute necessaria præstat contingenti, vel illa non datur perfectior. Et pariter quia existentia necessaria sequitur ex omnibus essentialibus entis infiniti, siquidem complexus perfectionum omnium existentiam, summarum autem absolute necessariam inuoluit (§. 5. 6.); & hinc eius attributum proprium est (v. WOLFF. ontol. lat. §. 145.): recte dicitur: *quidquid habet existentiam absolute necessariam, est ens infinitum*. Nam omnis propositio, in qua attributum proprium de subiecto enunciat, est per præcepta Logica simpliciter conuertibilis. Hinc



Hinc ens a se est ens infinitum (§.7.), adeoque omnium summarumque perfectionum particeps (§.6.).

§. XIII. Non possunt esse plura entia infinita, quam vnna. Fac enim, esse plura entia infinita, erunt perfectione aequalia, aut inaequalia. Si inaequalia, alterutrum non habebit omnes perfectiones compositibiles sine gradibus & absolute, adeoque non erit ens infinitum, contra hypothesin. Si aequalia sunt, aut perfectiones illa erunt aequales & similes, aut aequales & dissimiles. Si dissimiles, neutrum habebit omnia, nec adeo erit infinitum contra hypothesin, dum duo entia infinita, omnibus perfectionibus praedita, supponuntur. Sed neque possunt esse aequales & similes, solo forsan numero differentes. Aut plane enim in nullo differunt entia infinita, quae dicuntur numero differre, & sic sunt vnum idemque, adeo vt nec numero diffrant; aut differunt in aliquo, v. g. in subiecto existentiae, vel attributorum sustentaculo. Illud aliquid v. g. attributorum sustentaculum vel in aliquo adsignabili diuersum est in vtroque ente, vel non est. Si diuersum est, habet vnum, quod non est in altero, contra hypothesin, dum duo illa entia infinita vt perfectionibus aequalia & similia supponuntur. Si non est diuersum, nulla dari ratio potest, cur ens infinitum vnum habeat hoc v. g. attributorum sustentaculum, alterum vero habeat illud. Ex essentia enim peti eius nulla ratio potest, siquidem neutrum repugnat essentiae illius ex hypothesi, dum duo illa attributorum sustentacula plane non diuersa supponuntur; nec externam vllam rationem ens infinitum, quatenus est ens a se (§.12.), potest admittere (§.7.9.). Quia igitur plura entia infinita esse nequeunt, erit numero vnum tantum ens infinitum.

Ens infinitum est vnicum.

Scholion. Conferantur Cel. BULFINGERI Dilucidationes §. 408. 410.

§. XIV. Cum ens infinitum sit tantum vnum (§.13.); ens a se autem sit infinitum ens (§.12.), ens a se non potest esse, nisi vnum.

Ens a se est vnicum.

§. XV. Ens, quod aliter potest esse, siue cuius oppositum non inuoluit contradictionem, dicitur contingens. Hinc cum contradictionem non inuoluat, quin mundus qua spatium, & tempus

Mens & mundus sunt contingentia entia.



tempus alias res contineat, quam actu continet, mundus potest esse aliter, adeoque est ens contingens. Pariter dum mens nostra, iam obscuras, iam claras, iam distinctas repræsentationes habens, innumeris mutationibus est obnoxia, & series repræsentationum ad mundum se refert, qui aliter potest esse, mens nostra potest aliter esse, adeoque est ens contingens.

Datur  
Deus.

§. XVI. Ens a se est absolute necessarium (§. 7.). Mens & mundus sunt contingentia (§. 15.). Mens igitur vel mundus non possunt esse ens a se. Hinc quia datur tamen ens a se, in quo ratio sufficiens mentis & mundi continetur (§. 8.), nec plura sed vnicum (§. 14.), admittendum est *ens a se, a mente & mundo distinctum, in quo datur ratio sufficiens existentia mentis & mundi.* Sed tale ens a se *Deus* dicitur. Ergo *datur Deus.*

Defenditur definitio de Deo.

Scholion. Non mirabitur datam de Deo definitionem, quisquis perpendet, omnium de *Deo* hanc notionem esse, quod fit illud *ens a se, quod est causa totius vniuersi.* Quia enim causam vocamus id, quod continet rationem existentia alterius, nostra definitio cum vulgari notione omnium de *Deo*, qua sensum, maxime conuenit, prætereaque demonstrationem existentia Dei ex præcedentibus reddit faciliorem. Nostrium hoc autem pro existentia Numinis argumentum, a contingentia mundi mentisque desumptum, vel eo nomine multis aliis palmam præripit, quod ipse diui Pauli, diuinitatem & potentiam Dei inuisibilem & æternam ex operibus creationis mundi cognosci, asserentis Rom. I, 20, auctoritate confirmetur.

Cur hoc argumentum aliis præferendum?

Attributa quædam Dei.

§. XVII. Ens a se est ens absolute necessario existens (§. 7.), infinitum i. e. omnes summasque perfectiones possidens (§. 12.), independens (§. 9.), & vnicum (§. 14.). *Deus* igitur, qui est ens a se (§. 16.), *est ens absolute necessario existens, infinitum, & hinc omnes summasque perfectiones possidet, est independens & vnicus numero.* Et quia ens a se est tantum vnum (§. 14.), sc. ipse *Deus* (§. 16.), consequens est, *aseitatem esse soli Deo propriam.*

Consensus S. scripturæ.

Scholion. Non difficulter hic quoque S. scripturæ consensus ostenditur. Omnes summasque perfectiones Dei indicari, arbitror, I. Tim. VI, 16. vbi *Φῶς ἀπρόσβιτον* inhabitare dicitur; lux enim improprie perfectiones denotat Matth. V, 16.; lux autem inaccessa hæc dicitur, quia  
nulla

nulla creata res ad eum perfectionum gradum, quem Deus possidet, potest peruenire. Maxime S. scriptura, propter summam Iudæorum & gentilium ad polytheismum procliuatatem, vnitatem Dei grauissime & sæpissime inculcat Deut. VI, 4. IV, 35. 39. I. Reg. IIX, 60. Ies. XLIV, 6. 8. XLVI, 9. Eph. IV, 6. I. Tim. II, 5. VI, 15. 16. I. Cor. VIII, 4. Independentia autem Dei innuitur, vbi, nullius ipsum indigere, dicitur Act. XVII, 24. 25.

§. XVIII. Non solum autem hæc, sed & omnia reliqua attributa, quæ ex aseitate resultare, in lectionibus metaphysicis demonstrantur, S. scriptura consentiente, Deo propter aseitatem (§. 16.) competunt e. g. *immutabilitas* Pf. CII, 28. Mal. III, 6. Iac. I, 17. *aternitas* Gen. XXI, 33. Pf. CII, 27. 28. CIII, 17. XC, 2. XXXIII, 11. Ies. XLIII, 10. XL, 28. Rom. XVI, 26. *in- corruptibilitas* Rom. I, 23. I. Tim. I, 17. cetera. Et præter hæc attributa, ex aseitate resultantia, competunt etiam Deo, iterum S. scriptura consentiente, reliqua attributa, quæ in Theologia naturali de eo demonstrantur, e. g. *intellectus* Ies. XL, 28, *omni- scientia* I. Ioh. III, 20. *omnisapientia* Rom. XVI, 27. I. Tim. I, 17. vbi solus Deus dicitur sapiens, scilicet in summo gradu & a se, Rom. XI, 33. Pf. CXLVII, 5., *voluntas* Eph. I, 11., *omnipotentia* Luc. I, 37. Ier. XXXII, 17. 27. 2. Cor. VI, 18. cetera.

§. XIX. Quia ens infinitum est tantum vnicum (§. 13.), scilicet ipse Deus (§. 17.), sequitur, *quidquid ex infinitate resultat ita, vt sine ea locum nequeat habere, id soli Deo esse proprium.* Quæ at- tributa soli Deo sunt propria. Hinc cum summitas perfectionum in Deo ex infinitate resultet, & sine ea consistere nequeat (§. 5. 6.), *summus perfectionum gradus soli Deo proprius esse debet.* Sed omniscientia est summus gradus scientiæ, quia maior scientiæ gradus dari nequit, quam vbi omnia possibilis simul & distinctissime cognoscuntur, quod est ipsa omniscientia; omnisapientia est summus gradus sapientiæ, quia sapientiæ maior gradus dari nequit, quam vbi omnium mediocriorum possibilium ad omnes fines posibles subordinatio cognoscitur, quæ est ipsa omnisapientia; omnipotentia est summus gradus potentiæ, quia maior dari nequit potentia, quam



quæ ad omnia possibile existentiæ reddenda sufficit, quæ est omnipotentia notio. Sunt igitur *omniscientia, omnisapientia, omnipotentia attributa soli Deo propria*, & pari modo se res habet de reliquis attributis summis.

**Monitum.** Scholion. Dico studiose: quidquid ex infinitate sequitur ita, *ve sine illa locum nequeat habere*, id soli Deo proprium esse. Nam perfectiones multæ, generatim spectatæ, e. g. intellectus, voluntas, scientia, potentia, in Deo etiam quidem ex infinitate resultant (§. 6.), nec tamen soli Deo sunt propria, quia sine infinitate etiam in rebus creatis possunt locum habere.

**S. scriptura est reuelatio vere diuina.** §. XX. *S. scriptura*, ad cuius eum ratione consensum hactenus prouocauimus, est *reuelatio vere diuina*; & hinc asserta illius propter summam Dei veracitatem pro veris sunt habenda.

**Quomodo S. scriptura diuina origo ostendenda?** Scholion. Quamuis eos, qui mente, a vanis persuasionebus uacua & ad obsequium prona, debite & religiose S. scripturam tractant, ipse Dei spiritus per vim verbi insitam validissime de hac propositione conuincat 1. Ioh. V, 6., exemplo auditorum Petri Act. II, 37. 41. 43., eunuchi Act. II, 28 - 37. Lydia Act. XVI, 14. 15., discipulorum Emaunticorum Luc. XXIV., 32: non tamen desunt argumenta varia, quibus, qui negant hanc verbi diuini vim insitam & ipsam S. scriptura diuinitatem, ad conuictionem perducere possunt. In quibus quidem omni exceptione maius est, quod, præstruata reuelationis diuinæ necessitate, siquidem sibi relicta ratio non docet certum reconciliationis cum Deo medium, ex criteriis veræ reuelationis diuinæ, quæ ratio sana demonstrat, & in S. scriptura deprehenduntur, ducitur; dum hæc docet veritates, homini seitu necessarias, nec ex ratione cognoscibiles, scilicet reconciliationis cum Deo medium, & quidquid ad illud pertinet, nec sibi ipsi, nec veritatibus rationis demonstratis contradicit, habet sensum, qui, debita attentione adhibita, potest erui, antiquissima & modo Deo digno data est, cetera. Ast quia illi, contra quos mysterium S. S. Trinitatis immediate est demonstrandum, admittunt S. scriptura diuinitatem, nec huius loci angustia prolixitatem permittit, integra demonstratio alii temporis locoque est reseruanda. Attamen nec hoc prætereundum est, ad hermeneutica S. scripturae verum & genuinum inueniendum certis opus esse subsidiis regularum, quæ ex indole S. scripturae partim, quatenus in genere scriptura est, partim quatenus speciatim sacra & diuinæ originis est, resultant, quæque hermeneutica sacra ex instituto solet tradere; sed, *ve* in

in presenti perlustramus, ab instituti ratione alienum est. Talis e, g. est, quod S. scriptura non debeat explicari contra rationem, qua regula usus sum §. seq. 21.

§. XXI. Secundum S. scripturæ ductum breuem aliquam de **DEO** nobis notionem formaturi,prehendimus 1. *illum esse spiritum* Ioh. IV, 24. Quamuis illa enim aliis in locis ei membra corporea tribuat e. g. Pf. XCV, 4. 2. Sam. XXII, 16. Hebr. IV, 13.: quia tamen hæc loca, proprie intellecta, sensum rationi contrarium producerent, utpote quæ spiritum esse Deum in theologia naturali docet: improprie potius & modo Deo digno de ipsis attributis diuinis, cum his vel illis membris corporis humani convenientiam quandam habentibus, sunt intelligenda. 2. *A se existentem.* Omnia enim, quæ præter Deum sunt, a Deo, tanquam a primo fonte, luculentissime deriuat Ies. XLI, 4. Act. XVII, 25. Pf. CXLVI, 6. Rom. IV, 17. Vnde cum **DEVS** a nullo sit alio (§. 17.), nec tamen sui ipsius causa esse queat; siquidem repugnat, esse aliquid sui ipsius causam, dum alias agere debuisset, se ipsum producendo, antequam exstitisset: necessario sequitur, **DEVM** existere a se. *Deus igitur, ad S. scripturæ ductum, dici potest spiritus a se.*

Deus est spiritus a se.

§. XXII. Attributa, Deo competentia, alia ex aseitate resultant, & hinc Deo competunt, quatenus ens a se est (§. 18.), alia ex spiritualitate eius siue mediate siue immediate sequuntur, & hinc ei, quatenus est spiritus, vel, si mauis, spiritus perfectissimus, competunt: e. g. intellectus, voluntas, omniscientia, sapientia, iustitia, cetera (§. 18.). Patet igitur, secundum S. scripturæ ductum, primum, quod de Deo cognoscitur, & in quo ratio reliquorum, quæ Deo competunt, datur, hoc esse, quod sit spiritus a se. Sed primum, quod de Deo cognoscitur, & ex quo sequuntur reliqua, quæ Deo competunt, dicitur essentia Dei (§. 4.). *In eo igitur, quod Deus sit spiritus a se, consistit essentia diuina.*

In quo essentia diuina consistat.

Scholion. Dum in primo conceptu Dei essentiam Dei colloco, uti definitio essentia generalis postulat (§. 4.), non noui quid, aut inauditum & monita profero. Nam philosophus & philologus Ienenisum olim celeberrimus, quædam.

Consensus & monita quædam.





PAVLLVS SLEVOGT in Dissert. de primo conceptu Dei, in qua varias eruditorum de hac re sententias enarrat, §. 7.: *In eo, inquit, procul dubio ratione nostra essentia & ratio formalis Dei consistit, quod primo concipimus in eo, & ita se habet, ut Deo immediate insit, & a nullo priore oriatur, nostro concipiendi modo: deinde quod est proprium solius Dei, eumque ab omnibus creaturis distinguit: denique quod ratione nostra principium, radix ac origo est reliquorum absolutorum Dei conceptuum.* Quod autem ex dato conceptu Dei omnes proprietates absolutæ facile deriuari queant, commode perspiciet rem curatius perpendens, & si opus fuerit, ipse alio tempore demonstratum dabo, loci angustia hic exclusus. Hinc hæc duo moneo tantum, 1. nos loqui de consecutione attributorum Dei ex essentia eius pro nostro concipiendi modo. Actum enim in Deo omnia sunt simul (§. 5. 17.). 2. Philosophos, qui in intellectu Dei infinito essentiam Dei collocant, quod ante Ill. WOLFIVM Met. §. 1069. & Cl. BVLFINGERVM in Dilucidat. §. 422. seqq. fecerunt THOMAS & SVAREZ, citante SLEVOGTIO l. c. §. 16., nobiscum non difficulter conciliari posse; siquidem, dum spiritus est ens intellectu & voluntate præditum, spiritualitas intellectum, a seitas autem infinitatem includit (§. 12.).

Creatio  
est actio  
soli Deo  
propria.

§. XXIII. Quod Deus mundum creauerit, docet & ratio in Theol. nat. & S. scriptura evidentissime Gen. I. II. Rom. IV, 17. Vnde hoc loco ostendam tantum, *creationem esse actionem, solis Deo propriam.* Possibile, quod respectu existentia suæ contingens est, dum per se potest existere & non existere (§. 15.), rationem existentia suæ non habet in se; alias enim non contingens, sed absolute necessarium esset (§. 7.); & hinc non potest existere, nisi per actionem alterius, sc. causæ. Cum autem omnium talium in hoc eadem sit ratio, non est ratio, cur actio, quæ vnum eorum potest reddere existens, non possit & reliqua. Hinc quæcunque actio id, quod *possibile tantum est*, h. e. nihilum priuatiuum, reddit existens, illa supponit facultatem, omne tale possibile reddendi existens. E. *creatio supponit facultatem, omne possibile reddendi existens.* Nam creatio est illa actio, qua nihilum priuatiuum existens redditur. Hinc sequitur, *creationem supponere omnipotentiam*, quia omnipotentia est facultas, omne possibile existens reddendi. Quia autem omnipotentia est attributum, soli Deo pro-



proprium (§. 19.), *creatio etiam est actio, quam solus prestare potest Deus*; prouti solus sibi Deus opus creationis vindicat Ies. XLIV, 24.

Scholion. Vocavi id, quod possibile tantum est, nihilum priuatiuum. Monita  
quædam.  
Nam nihilum priuatiuum dico, quod plane non actu est, sed esse tamen potest; sed hoc ipsum est tantum possibile, vt excludatur existentia. Dum autem dico, *actionem, quæ id, quod possibile tantum est, b. e. nihilum priuatiuum, reddit existens, supponere facultatem, omne possibile reddendi existens*, non a particulari ad vniuersale concluditur, sed a paritate rationis, quæ in vno mere possibili, ad existentiam perducendo, & omnibus reliquis adest; siquidem vnum æque non potest ad existentiam suam aliquid conferre, ac reliqua; entia autem eiusdem rationis possunt pro se inuicem substitui.

§. XXIV. Continuatio voluntatis diuinæ de rerum existentia dicitur *conseruatio*. Hinc cum per essentiam suam res creata non possit existentiam continuare, vtpote quod enti a se est proprium (§. 7.), & hinc illud debeat fieri per actum voluntatis diuinæ continuatum, quo cessante, in nihilum suum statim deberet recidere; creatio autem fit actio diuina, per quam nihilum priuatiuum existentiam accipit (§. 23.), sequitur, *conseruationem, quam Deus omnibus creaturis prestat Ps. CXLIX, 6. esse continuatam creationem*. Hinc cum creatio fit actio, soli Deo propria (§. 23.), *conseruatio omnium etiam actio soli Deo propria esse debet*.

§. XXV. *Concursus Dei generalis* ad actiones creaturarum est conseruatio eius, quod in vi actiua creaturarum reale est, vt ita creaturæ aptæ ad aliquid agendum præstentur. Est igitur concursus species conseruationis, si hæc in sensu generali pro quacunque conseruatione sumatur; licet si in speciali sumatur sensu, hæc ad rei existentiam, ille ad vim actiuam creaturæ potius tendat; notante BVLFIGERO in Dilucid. § 471. Hinc dum conseruatio omnium est *actio, soli Deo propria* (§. 24.), idem de *concurso generali* dicendum est.

§. XXVI. Dum Deus res creatas omnes in existentia conseruat, & conseruando vim earum actiuam, ad actiones illarum omnes generaliter concurrat (§. 24. 25.), præstat *omnioperationem* suam, Omni præ-  
sentia est  
soli Deo  
propria.



suam, quæ hinc etiam soli Deo propria esse debet (§. cit.). Sed *omnioperatio est proprium omnipresentia*, quia præsens vocare solemus alteri, quod in alterum operatur, uti nobis vocare solemus præsens, quod organa nostra sensoria afficit. Unde sequitur, *omnipresentiam soli Deo esse propriam*. Dico tantum, *omnioperationem proprium omnipresentia esse*, quia hoc ad præsentem sufficit demonstrationem. Ita vero non negatur essentia diuinæ omnipresentia, quæ potius ex omnioperatione potest inferri.

Monitum.

Scholion. Dum autem omnipresentiam, & pariter omniscientiam, omnifapientiam, omnipotentiam soli vero Deo competere diximus (§. 19.), facile patet, nos loqui de eo, quod est *per se ac formaliter, non quod est communicatiue vel propter unionem cum Diuinitate, factamque hinc communicationem*. Unde non potest opponi, quod humanitati Christi etiam hæc summa attributa competant, cum tamen non sit verus Deus. Illi enim competunt propter communicationem, sed non per se ac formaliter, fatentibus purioris ecclesiæ doctoribus.

Vt & productio miraculorum.

§. XXVII. Effectus supernaturalis dicitur miraculum. Hinc cum miraculum nemo præstare possit, nisi supra naturam totam sit, solus autem Deus, tanquam ens a se, & reliquorum omnium causa, hoc sibi vindicare possit (§. 16. 17., *solus Deus præstare potest miracula. Ps. LXXII, 18.*

An omnes effectus supernaturales sint miracula?

Scholion. An pro data miraculi definitione effectus Dei supernaturales sed ordinarii in homine, quales sunt v. g. illuminatio, regeneratio, sint miracula, ita decidit cel. BULFFINGER, qui pluribus de hac re conferendus in Dilucid. §. 230. sqq. & quem secutus est I. Th. CANZ, in vsu Philos. Leibnit. in Theol. Tom. I. C. 43. §. 2. 3., ut illos miracula dicat esse respectu naturæ, quatenus ex viribus naturæ non procedunt, licet non in ordine gratiæ; si in regno gratiæ miraculum dicas, quod non est perpetuum & ordinarium, sed supergreditur mensuram dispensationis ordinariæ. Nec tamen, si operationes illas gratiæ nolis vocare miracula, & per miracula intelligas effectus supernaturales & naturæ & gratiæ ordinem supergredientes, reluctabimur.

Deus est dominus supremus.

§. XXVIII. Dei voluntati propter creationem, conseruationem, concursum & omnipotentiam omnia ita sunt subiecta, ut illis facere possit, quidquid vult, nec vlli rationem reddere debeat



beat propter independentiam (§. 17.). Quia igitur hæc sunt domini requisiti, *Deus est supremus omnium rerum dominus*, licet hoc dominium suum semper ita administret, uti summæ ipsius sapientiæ, bonitati iustitiæque est conueniens; unde omnium hominum ut saluti consulatur, cupit 1. Tim. II, 4., & mala permissa in finem ipsis salutarem dirigit Gen. XLV, 5. 7. 8. Act. VIII, 1. 4. Rom. IIX, 28.

Scholion. S. scriptura supremum dominium Dei sub iure figuli in argillam representat Ies. XLV, 9. Ier. XIII, 1. seqq. coll. 1. Tim. VI, 15. Consensus scripturæ S.

## CAPVT II.

## S. S. TRINITATEM AD DVCTVM S. SCRIPTV. RAE SISTENS.

## §. XXIX.

Quamuis Deus non sit, nisi vnicus (§. 17.), idemque gloriam suam strenue tueatur Ies. XLII, 8: *tres tamen sunt, quos verum Deum esse, S. scriptura docet, quorum vnum Patrem Ioh. XVII, 3. alterum Filium Dei Rom. IX, 5. & 1. Ioh. V, 20. tertium Spiritum S. vel Spiritum Dei appellat Math. III, 16. 17. coll. Luc. III, 22. Act. V, 3. 4. Filius Dei dicitur etiam Iesus & Christus Matth. XVI, 13. 16. ut & Verbum Ioh. I, 1. 14. 15. 1. Ioh. V, 7., quod nomen inde videtur accepisse, quod Deus voluntatem suam de generis humani redemptione per eum nobis manifestauerit Ioh. I, 17. 18. XVII, 6. 8., licet multi ex paraphraste Chaldæo hanc locutionem desumptam putent.*

Tres dicuntur Deus.

Schol. 1. Nempe per *spiritum S. & spiritum Dei* idem subiectum denotari, ex Matth. III, 16. & Luc. III, 22., inter se collatis, euentissime patet, dum qui in loco priori *spiritus Dei* dicitur, in posteriori *spiritus sancti* nomine denotatur. Spiritus S. & spiritus Dei sunt idem.

Schol. 2. Unde & cur filius Dei dicatur *λόγος*, varie ab eruditis fuit disceptatum. Disputatum enim fuit: *an a Pythagoricis vel Platonis Iohannes hunc loquendi morem acceperit? an ex paraphrasi chaldaica? an Pōilonem voluerit interpretari? an per verbum, an per rationem & sapientiam* Varie quæstiones difficiles de λόγος solutionem.



iam debeat verti? an solus Iohannes hocce filii Dei nomine utatur? cur ita nominet? Quod ut rectius percipiamus, 1) negandum non est, Pythagoram, Platonem, quique eum secuti sunt, philosophos interdum voce λόγος, & quæ ei æquipollens videtur esse, ὄν, ita vfos esse, ut trinitatem sapere videantur. Huc pertinent loca partim a CLERICO in Comment. in Ioh. I, 1-18., partim a TOBIA PFANNERO in Syst. Theol. Gentil. pur. c. 3. collecta, quando e. g. Timæus Locrus Pythagoricus, quem sequitur Plato, citante CLERICO l. c. *antequam*, inquit, *cælum fieret, λόγω ratione erat idea, & materia πρὶν ὧν ὄραν γενέσθαι λόγω ἦσεν ἰδέα τε καὶ ὕλα.* 2) nec dubium potest esse, quin hi philosophi græci talem de Deo loquendi rationem ex commercio, quod iis peregrinantibus forte cum Iudæis in Ægypto intercessit, hauserint, licet genuinam de trinitate diuina doctrinam non satis perceperint. Nam Iudæis ante Christum non incognitum fuisse hoc mysterium, infra §. 78. sqq. probabitur. In Ægypto autem fuisse Iudæos, ex Ier. XLIII. abisque locis constat, & philosophos vetustiores græcos Ægyptum visitasse, ex historia philosophica in confesso est. 3) Nec minus certum est, hunc loquendi morem apud Iudæos V. T. viguisse, ut filium Dei vocarent verbum, dum alias Iohannes c. I. adhibuisset verbum, cuius nemo habuisset notionem, quod sapientiæ inspirantis aduersatur; ne dicam, a multis ad Chaldaicum מִימָר ex paraphrasi chald. prouocari. 4) Iudæos autem hunc loquendi morem ex ipso scripturæ S. codice hausisse, probabile est, dum Pf. XXXIII, 6. dicitur: *cælum verbo Dei creatum*, cuius creatio tamen filio Dei clarissime tribuitur Hebr. I, 8. 10. 5) Vnde mirum non est, post Christum natum eundem mansisse loquendi morem, adeoque ipsum Philonem Iudæum tales locutiones adhibuisse, dum e. g. in variis locis *λόγον εἰκόνα Θεῶ* appellauit. v. CANZ. Ciu. DEI p. 81. Ex quibus facile colligitur, 1) Iohannem hanc filii Dei denominationem non a Pythagoricis vel Platonice accepisse, quod perhibet falso CLERICVS in comment. in Ioh. I, 1-18. Si enim ipsi Pythagorici Platoniceque hunc morem loquendi potius a Iudæis acceperunt (n. 2.), qui ex ipso S. codice eundem edocti sunt (n. 4.): quæ ratio subesset, cur Iohannem, ex diuino efflatu scribentem, verba & denominationes a philosophis græcorum mutuo accepisse, diceremus? Annon rectius dicemus, quod ex primo potius fonte, qui scriptura S. V. T. est, qua suam cognitionem hauserit? 2) Eadem ratio obstat, cur nec dicamus, ex paraphrasi chaldæa Iohannem hanc Christi denominationem hausisse, quia Targumistæ sine dubio ex oraculis ipsis sacris & fortan etiam ex predicationibus coram factis didice-

prima

secunda



dicerunt. 3) Lubenter autem concedimus, morem de *λόγω* quodam <sup>tertia</sup> diuino, licet non facis intellecto, loquendi, inter Iudæos pariter ac philosophos quosdam græcos receptum, occasionem dare potuisse Iohanni, vt euangelium hoc filii Dei cognomento exordiretur, eo consilio, vt per prædicata, *λόγω* tributa, aternitatem, creationem mundi, diuinitatem, viuificationem, assumptionem humanæ naturæ, Iudæos pariter ac græcos genuinam conditionem *λόγος* doceret, ne fallerentur amplius in idea de eodem formata vel formanda. Nam educatus erat inter Iudæos & Ephesi inter Græcos diu versatus est Apostolus. 4) Vnde porro sequitur, <sup>quarta</sup> Iohannem non voluisse agere interpretem Philonis, sed potius huius & omnium reliquorum ideam de *λόγω* diuino forte erroneam corrigere & incompletam completam reddere. 5) Et quia denominatio filii Dei, vt <sup>quinta</sup> *λόγος* dicatur, Iudæis recepta fuit (per n. 3.), facile potuit fieri, vt alii <sup>an solus</sup> scriptores S. N. T. eodem nomine eum denotarent, nec soli Iohanni hic <sup>Iohannes</sup> loquendi mos proprius fuerit. Non enim refragamur, sed ad stipulamur <sup>filium Dei</sup> illis, qui Luc. I, 2. per *λόγον*, cuius *αυτόπται* καὶ *ὑπηρέται* fuerint scri- <sup>vocet λό-</sup> ptores vitæ Christi, non tam verbum prædicatum euangelii, quam potius ipsum Christum, Dei filium, intelligunt, quia verbum prædicatum non oculis, sed auribus percipimus; de hoc autem *λόγω* *αυτοψίαν* prædicat Lucas; prouti simili etiam locutione vsus est Iohannes I. Ep. I, 1. 2. 3. Pariter Paulus Act. XIII, 26. Iesum vocat *λόγον τῆς σωτηρίας*. Nam non posse ibi verbum euangelii ore prædicatum intelligi, patet ex v. 27. 28. vbi Iudæi illum *λόγον* missum a Deo non agnouisse &, nulla licet causa mortis inuenta, tamen opera Pilati ex medio sustulisse dicuntur; id quod de verbo euangelii prædicato dici nequit. Vt alia loca, ab aliis passim adducta, præteream.

Schol. 3. Ratio autem, cur filius Dei dicatur *λόγος*, innuente ipso <sup>Cur filius</sup> Iohanne c. I, 18. non difficulter inuenitur. Verbum, quod ore proferimus, <sup>Dei dica-</sup> interpret est mentis nostræ, vt alter, cui cogitationes nostræ in se <sup>tur λόγος?</sup> absconditæ sunt, easdem perspiciat. Sic filius Dei interpret est voluntatis diuinæ, hominibus patefaciendæ. Voluntatem Dei legalem populo Israelitico reuelauit cum summa solennitate in monte Sinai; siquidem David Ps. LXIX, 18. 19. eundem angelorum comitatum gloriosissimum filio Dei, in cælum adscendenti, tribuit, quem habuerit in monte Sinai, & Stephanus Mosen cum angelo in monte Sinai locutum testatur Act. VII, 38. qui non potest esse alius, quam ipse filius Dei, quem angelum Dei, scil. increatum, scriptura sacra nominare solet. Sed omnium maxime voluntatis euangelicæ, de salute per fidem obtinenda, cognitionem ipsius

CARPOV. de Trinitate.

G

filii



filii Dei, quæ infinita Dei benignitas fuit, institutioni & doctrinæ, teste historia euangelica, debemus, prouti egregie Iohannes c. I, 9. non solum hunc illud lumen esse dicit, quod omnem hominem, in mundum venientem, illuminare debeat, sed etiam clarius v. 18. vnigenitum Dei filium nobis doctrinam de salute nostra annunciaſſe, teſtatur, & Paulus Hebr. I, 1. poſt plurima prophetarum vaticinia Deum per filium cum hominibus locutum eſſe, aſſerit. Nec tamen contemnendam plane eſſe arbitror ſententiam eorum, qui *filium Dei appellari λόγος*, aſſerant, quia vti ſapientia, ratio & cognitio in mente formatur, ſic ſecunda diuinitatis perſona generetur a Patre Pf. II, 7. Nempe ad alterum ſignificatum vocis *λόγος* illi reſpiciunt, dum denotat etiam rationem, vnde Logica nomen traxit, adeoque ſimilitudinem inter rationem humanam & filium Dei pro fonte huius denominationis habent. Nec ſcripturæ S. id videtur diſconueniens, dum aliis in locis e. g. Prou. IIX. ſapientiam *κατ' ἐξοχὴν* i. e. hypſtaticam filium Dei appellari nouimus. Atque ex his patet, vocem *λόγος*, ſi Chriſto tribuitur, per verbum æque ac rationem vel ſapientiam verti poſſe. Legantur de controuerſiis, de hoc capite agitatis, vir celeberrimus RVs in harm. euang. T. I. p. 10. ſqq. B. GRAPVVS in theol. recens controu. c. 2. qu. 17. p. 143. ſqq.

Pater eſt  
verus Deus.

§. XXX. *Patris diuinitatem* admittunt omnes, qui Dei concedunt eſſentiam, patris nomen ideo ipſi tribui putantes, quod omnium rerum ſons & origo ſit, & omnia ab ipſo dependeant. Non eſt igitur, cur, Dei eſſentia demonſtrata (§. 16.), diuinitatem Patris vltius probemus. Accedit, quod ipſe Chriſtus Patri diſerte tribuat eſſentiam, quæ ſola diuina eſt Ioh. XVII, 3. & quod, diuinitate Filii, non habito ad diuinitatem patris reſpectu, vel independenter ab illa (vt cum Mathematicis loquar) demonſtrata, diuinitas Patris non poſſit non admitti; quia inconueniens eſſet, Filium eſſe Deum, nec Patrem.

Explicatio  
loci Ioh.  
XVII, 3.  
defenditur.

S. holion 1. Scilicet per datam loci Iohannei interpretationem declinare poſſumus argumentum eorum, qui diuinitatem filii & ſpiritus S. inferius demonſtrandam, ex eo impugnare conantur, dicentes: *Si pater ſolus, Deus verus eſt, Filius & ſpiritus S. verus Deus non ſunt.* Non valet hæc obiectio pro explicacione noſtra. Nam dum Pater habet eſſentiam, quæ ſola diuina eſt, non id obſtat filii ſpiritusque S. diuinitati, quia, vt infra oſtendemus, illi eandem cum Patre habent eſſentiam. Eſt autem hæc



hæc loci explicatio admittenda, ne hic locus aliis, vbi diuinitas filii spiritusque S. asseritur, contradicat, quia contradictoria in scriptura S. esse nequeunt. Sed hoc in sequentibus clarius euincetur. In præsentia sufficit, in hoc loco testimonio Christi irrefragabili, licet vel tanquam nudum magnum prophetam, diuinitate eius nondum demonstrata, consideres, diuinitatem patris euinci. Facere autem non possum, quin huic oraculi citati Iohannei c. XVII, 3. explicationi receptiori, quæ propositio: *pater est solus verus Deus*, ita intelligitur: *pater est ille verus Deus, cuius Deitas, a qua nec filius, nec spiritus S. excludendus, est sola vera Deitas* conf. BECHMANN in Annot. ad Hutt. p. 70. & SCHERZER in Colleg. Anti-Socin. ed. alt. p. 107. sqq., aliam adhuc, quæ salua fidei analogia & cohæsiōe textus, facilitate se admodum commendare videtur, addam. Eam esse, inquit seruator, vitam æternam (vel vitæ æternæ obtinendæ viam), vt patrem, solum verum Deum, & quem misit, Iesum Christum (per viam cognitionem) agnoscamus. Quæ si cum acumine consideremus verba, non hæc in illis propositio: *solus pater est verus Deus*, quæ diuinitati filii & spiritus S. aduersa videretur esse; sed hæc: *pater est solus verus Deus*, inuoluitur ita, vt per particulam exclusiuam *solus* non alia subiecta ab eiusdem prædicati, sed potius alia prædicata, a diuinitate aliena, ab eiusdem subiecti participatione excludantur. Et cum in verbis adductis seruator Iesum Christum, tanquam missum, patri, tanquam mittenti, opponat; missio autem filii, a patre facta, inuoluat eiusdem incarnationem Gal. IV, 4., incarnatio autem humanitatem: facile potest intelligi, hanc eius mentem esse: *hanc esse, ad vitam æternam perueniendi, viam, vt agnoscamus patrem, qui est solus verus Deus, nec homo simul* (ita enim alia prædicata a participatione eiusdem subiecti excluduntur) & *Iesum Christum, quem misit pater, h. e. qui non est solus Deus, sed homo simul*. Nec obstat huic explicationi, quod spiritus S. etiam sit solus verus Deus, dum nec ille humanitatem adsumpsit. Non enim a seruatore dictum est, quod *solus pater sit solus verus Deus*, sed hoc, quod *Pater sit solus verus Deus*; vnde hic quoque illud tritum valere potest, vnus positionem alterius exclusionem non esse. Sed pro hac quoque explicatione diuinitas patris manet in hoc loco salua. Nam qui est solus verus Deus, non potest non verus Deus esse.

Scholion 2. Dum dico: *inconueniens esse, vt filius Deus sit, nec pater*, prouti, inquis, non inconueniens vel absurdum est, filium esse Regem, eruditum, nec patrem talem esse, sic nec inconueniens erit, filium esse Deum nec patrem. At attendas velim differentiam inter perfectio-

& alia facillima suppedicatur.

An filius possit esse Deus, licet pater non sit.





nes filii essentielles & accidentales. Perfectiones accidentales, qualis regia dignitas, eruditio est, filius potest possidere, licet pater iis caruerit; essentielles non potest. Nam dum filius rationem essentialis suæ habet in patre, non potest in filio essentialis perfectio esse, quæ non ex patre ortum traxerit (§. 2.). Sed non posset ex patre ortum trahere, nisi ipsi etiam patri inesset (§. 2.). Vnde patet, fieri non posse, ut filius diuinitate ut essentiali gaudeat, vel essentia Deus fit, nec tamen Pater. Sic etiam reciproce consequentiam valere, ut si Pater Deus fit, etiam filius fit Deus, agnouerunt Iudæi, teste Ioh. X, 36. 33. V, 18.

**Cui essentia Diuina competat.** §. XXXI. Cum attributa entis ex essentia illius sequantur, adeoque essentiam supponant (§. 4.), euidens est, quod *cuicumque per se competunt attributa, soli Deo propria, illi etiam essentia diuina, sc. ut spiritus a se fit (§. 22.), debeat competere.*

**Idem conuincitur.** §. XXXII. Cuicumque per se competunt a seitas, omniscientia, omnisapientia, omnipotentia, illi per se competunt attributa, soli Deo propria. Sunt enim hæc talia (§. 17. 19.). Vnde sequitur, *cuicumque per se competunt a seitas, omniscientia, omnisapientia, omnipotentia, illi etiam essentiam diuinam, sc. ut spiritus a se fit, debere competere (§. 31.).*

**Christo competunt a seitas, omniscientia, omnisapientia, omnipotentia.** §. XXXIII. *Christo siue filio Dei per se competit 1. a seitas.* Nam quicumque vitam ita habet in se ipso, ut eam Deus Pater habet in se ipso, is habet etiam vitam a se. Nam Pater, ut verus Deus (§. 30.), eam habet a se (§. 16.). Cum igitur Christus vitam ita habeat in se ipso, ut eam Pater habet in se ipso, Ioh. V, 26., Christus habet vitam diuinam a se, adeoque ei competit a seitas. Excipi quidam posse videtur, quod Christus I. c. de se profiteatur, Patrem dedisse ei, vitam habere in se ipso; vnde colligi non posse videatur a seitas; siquidem quod cui datum est, id non habet a se. Sed distinguendum est inter vitam diuinam, quæ est a se ipsa, & modum habendi eam. Quod Filius habeat vitam, quæ est a se ipsa, ex dicto loco colligimus, non quod, qua modum habendi, eam a se ipso habeat. Et prius quidem non potest non ex dicto loco colligi, quia alias dici non posset, filium Dei ita vitam in se ipso habere, uti Pater eam in se ipso habet, 2. *Omniscientia.* Id quod patet

patet  $\alpha$ ) ex testimonio Paulli *θεοπνεύσω* Col. II, 2. 3. Frustra hic excipitur, Christum quidem sciuisse omnia, sed ex reuelatione diuina, uti prophetae etiam multa sciuerunt. Scientia enim omnium rerum supponit intellectum infinitum, quia intellectus infinitus est, qui omnia possibilis sibi distinctissime & simul repraesentat (§. 5.), in quo ipsa consistit omniscientia (§. 19.). Cum autem solus Deus sit ens infinitum (§. 13. 17.), & hinc omnis creatura intelligens intellectum finitum siue limitatum debeat habere, sequitur, quod Deus, si omnia cognoscibilia creaturae reuelare velit, intellectum illius finitum reddere debeat infinitum. Sed quia infinitas generatim, & hinc etiam ipsius intellectus, soli Deo est propria (§. cit.), id nequit fieri. Hinc nec potest Christus omnia ex reuelatione quadam diuina proprie sic dicta scire.  $\beta$ ) ex confessione Petri Ioh. XXI, 17. Quamuis enim haec sint tantum verba Petri, qui potuit errare & errauit non nunquam, ex tacita tamen Christi approbatione, quam si vel nudus magnus propheta fuisset, sine peccato ambitionis, a quo tamen fuit immunis Hebr. VII, 26., dare non potuisset, patet, nullum in his verbis a Petro errorem esse commissum.  $\gamma$ ) ex testimonio omnium apostolorum Ioh. XVI, 30., omniscientiam Christi inde colligentium, quod Christus responsione sua praueuerit ipsorum quaestionem v. 17-19, adeoque ipsorum cogitationes sciat. Scilicet cum Christus sit omniscius, cordium scrutinium, i. e. cognitio cogitationum absconditarum, ei etiam tribuitur Matth. IX, 4. Marc. II, 8. Ioh. II, 24. 25. Apoc. II, 23., quod soli tamen Deo est proprium I Reg. IIX, 39. 3. *Omnisapientia* Col. II, 2. 3, vnde sapientia absolute dicitur Matth. XI, 19. Luc. XI, 49. coll. Matth. XXIII, 34., Prou. IIX, ubi per sapientiam filium Dei intelligi, colligitur ex v. 22. sqq. coll. Ioh. I, 1. seqq. 4. *Omnipotencia* Phil. III, 20. 21. Eph. I, 22. Ioh. V, 21. 28. X, 28.

Scholion 1. Has autem perfectiones Christo, quatenus Dei filius est, *Monitum.* competere per se, ex ipsis S. scripturae locis citatis intelligitur, dum nulla adest ratio, cur communicatiue tantum, sc. eo sensu, qui supra (§. 26. not.) explicatus, ei competere dicamus (§. 2.).

C 3

Schol.



Defendi-  
tur expli-  
catio loci  
Col. II, 2.

Scholion. 2. Allegavi dictum Paullinum Col. II, 2. pro omniscientia Christi probanda. Non est autem hic dissimulandum, dari alios, in quibus Erasmus, Beza, Calixtus, qui alium ex effato Paullino sensum eruere conantur, de cognitione omnium, quæ in Christo, tanquam in subiecto, sit, sermonem Paulo esse negantes, intelligentesque cognitionem fidelium, quam de Christo habent, ut sensus hic sit: *Vt solatio erigantur animi ipsorum, dum confirmati sunt in charitate & in plenissima cognitione mysterii Dei & Patris & Christi, in quo (mysterio vel Christo cognito & cognoscendo vel ut cognoscatur) absconditi sunt omnes thesauri sapientia & cognitionis (fidelium ut talium).* Quamuis autem hæcce explicatio analogiæ fidei non aduersetur, nec negandum sit, Christum nobis factum esse sapientiæ 1. Cor. I, 30. ut cognitio ipsius viua & salutaris nos spiritualiter sapientes reddat, cognitionemque Christi omni cognitioni veritatum naturalium exemplo Pauli Phil. III, 8. præferendam esse, non tamen huic explicationi assensum præbere possumus. Nam si *ἐν ᾧ* v. 3. referatur ad *μυστήριον* v. 2. particula relatiua non se referret ad proxime præcedens, quod tamen per regulas hermeneuticas, si possit, debet fieri. Si autem *ἐν ᾧ* referatur ad *τὰ χριστῶς*, ut proxime præcedens, ut propositio Paulli v. 3. ita se habeat: *In Christo absconditi sunt omnes thesauri sapientia & cognitionis:* pro interpretatione dissentientium hic sensus erit: *In cognitione de Christo absconditos esse omnes thesauros sapientia & cognitionis.* Quis autem hæc duo: in Christo & in cognitione de Christo habebit pro iisdem? Non autem de cognitione Christi, sed de Christo loquitur Paullus. Quod si denique *ἐν ᾧ* ad totum v. 2. præcedentem referas, ubi cognitionis Christi facta est mentio, respondeo 1) ita morem loquendi minus vsitatum, sc. ut particula relatiua se referat ad totam phrasin præcedentem, sine necessitate præferri vsitati, qui est, ut ad obiectum proxime præcedens referatur. 2) ita propositionem Paulli vniuersalem, *quod in Christo omnes thesauri cognitionis & sapientia sint absconditi*, restringendam esse ad cognitionem veritatum spiritualium sapientiamque spiritualem & ad salutem necessariam; siquidem experientia testatur, homines irregenitos interdum magnos veritatum naturalium thesauros sine Christo possidere. At si de Christo intelligatur, quod subiectiue in illo sint omnes thesauri cognitionis & sapientia, nulla tali restrictione opus est, quia Christus omnes & naturales & reuelatas veritates cognoscit. Cum autem restringendum non sit sine necessitate, nostra interpretatio, utpote quæ sine restrictione sit, erit præferenda.

§. XXXIV.



§. XXXIV. Christo essentia diuina, sc. vt sit spiritus a se, debet competere (32. 33.). Quicumque competit essentia diuina, vt sit spiritus a se, ille est verus Deus (§. 21.). Vnde sequitur, *Christum siue Filium Dei esse verum Deum.*

Christus est verus Deus.

Scholion. Equidem HEBENSTREIT in syst. Theol. P. I. p. 505. distinguit inter *Deum verum & summum æternumque*, ad sophisticationes aduersariorum melius excludendas, dum illi sæpe Christum Deum verum, non summum æternumque esse dicunt, vel etiam ad imitationem Ioh. XV, 1. Christum quidem verum esse Deum concedunt, proprium esse negant. At quamuis qua rem ipsam hæc concedamus, superflua tamen videtur esse distinctio, dummodo ad genuinam Dei veri notionem attendamus. *Verus Deus est, qui habet omne id, quod notio diuinitatis inuoluit*, prouti idola, magistratus non sunt veri Dii, quia non habent omne id, quod notio diuinitatis inuoluit. Cum igitur notio diuinitatis etiam summum perfectionum gradum (§. 17.) summumque dominium (§. 28.) & æternitatem (§. 18.) inuoluat, vero Deo non possunt non hæc competere &, quicumque Christum verum Deum vocat, is has quoque perfectiones ei tribuit. Contradictoria igitur potius asserunt, qui Christum verum dicunt Deum, nec summum vel proprie talem. Volunt enim filio Dei omnia diuinitatis requisita simul competere, & non competere.

An distinctio inter Deum verum & summum sit necessaria?

§. XXXV. Quicumque est verus Deus, illi omnia etiam attributa diuina debent competere. Si enim vel vnum eorum deesset, non haberet omne id, quod habere debet, adeoque non esset Deus verus. *Filio igitur Dei, qui nomen Christi gerit, omnia attributa diuina debent competere (§. 34.).*

Habet omnia attributa diuina.

Scholion. Hinc  $\pi\acute{\alpha}\nu \tau\acute{o} \pi\lambda\eta\rho\omega\mu\alpha \tau\eta\varsigma \theta\epsilon\acute{o}\tau\eta\tau\omicron\varsigma$  in Christo habitare Col. II, 9. & ipse  $\text{ἰσ}\acute{o}\varsigma \theta\epsilon\acute{o}\varsigma$  Phil. II, 6. dicitur.

§. XXXVI. *Competit igitur filio Dei siue Christo, quatenus is Dei est filius, vt quorundam tantum attributorum diuinorum mentionem faciam, 1. æternitas*, vtpote quæ attributum diuinum est (§. 18. 35.); quod indicat S. scriptura Ies. IX, 6. 7. Prou. IIX, 22. Mich. V, 1. Huc etiam referri debet Ioh. I, 1. qui locus, teste v. 14. coll. Gal. IV, 4, extra dubium de Christo agit. Dum enim in principio, absolute posito, Verbum i. e. filius Dei, adfuisse dicitur, sine dubio principium omnium rerum, extra Deum existens.

Recensentur quedam.



stentium, erit intelligendum. Cum igitur Christus in illo iam adfuerit, ab æterno sit, necesse est; nec potest, vti olim voluerit Ariani, pro principe creatura Dei, ante sæcula condita, Christum habentes, ex nihilo esse creatus: quia, si ipse a Deo creatus esset, nondum tamen in sui ipsius creatione, & hinc nec in principio omnium rerum creatarum exstitisset. Pariter huc debet referri Apoc I, II. 17. 18. vbi is, qui mortuus fuerat & nunc viuus est, i. e. Christus, dicitur  $\alpha$  &  $\omega$ , h. e. primus & vltimus, quod est descriptio æternitatis Dei Ies. XLI, 4. XLIV, 6. Ex eadem etiam æternitate Christi cognoscitur, quod recte contra Iudæos, de ætate eius loquentibus, se priorem Abrahamo esse, sibi vindicet Ioh. IIX, 58. 2. *Immutabilitas* (§. 35. 18.) Hebr I, 8. I I. 12. 3. *Voluntas liberrima*, qualem habet Deus (§. 18. 35.), Ioh. V, 21. 4. *Omnipresentia* (§. 26. 35.) cuius documentum est Matth. XXIX, 20. Ioh. III, 13. 5. *Vita*, quam in se ipso habet Deus Ioh. V, 26. Ez. XXXIII, 11. 6. *Iustitia summa* Hebr. I, 8. 9.

Vindica-  
tio expli-  
cationis  
loci Ioh. I,  
1. sqq.  
contra So-  
cinianos.

Schol. Non ignota est peruersissima dicti Iohannei c. I, 1. sqq. interpretatio, a Socinianis & speciatim Eniedino efficta, dum illi per principium, in quo  $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$  erat, non principium omnium rerum, sed principium prædicati per Iohannem Baptistam Euangelii intelligunt, pariterque, quando Iohannes omnia v. 3. & mundum v. 10. per  $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$  facta asserit, id capiunt de regeneratione, hoc sensu, quod multi homines per ipsius doctrinam renouati & nouæ creaturæ factæ sint. Quis ferat autem hanc interpretandi rationem, nisi falsitate hypothesium domesticarum obtenebratam mentem gerat? Annon Iohannes in principio, simpliciter posito, iam adfuisse  $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$  asserit? Cur igitur restringunt Socini assectæ vbi ipse Spiritus S. non restringit? Aut ex quo textus indicio hanc restrictionem probabunt? Si confugient ad pseudo-argumenta, quibus diuinitatem filii Dei non sine blasphemia impugnant, in sequentibus iis satisfaciam. Quis porro hanc feret interpretationem, vt verborum: *omnia & mundus per  $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$  facta sunt*, hic sensus sit:  $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$  homines regenerauit? Cum a proprietate verborum recedendum non sit sine necessitate: posita hac interpretatione, aut ostendendum est, proprietatem verborum in illa obtinere, aut necessitas, relinquendi proprietatem & improprietatem amplectendi, est demonstranda. Proprietas verborum nunquam in illa ostendi potest. An enim  $\pi\acute{\alpha}\nu\tau\alpha$ ,  $\alpha\eta\iota\kappa\acute{o}\varsigma\mu\omicron\varsigma$  significat homines vel regenitos? An  $\epsilon\gamma\acute{\epsilon}\nu\epsilon\tau\omicron$  idem est ac



ac regenerati, renouati sunt? Sed nec necessitas vlla, proprietatem literæ relinquendi, ostendi potest, nisi quæ ex hypothesi falsa & a nobis negata, quod filius Dei non Deus, adeoque nec æternus sit, desumitur, præsertim cum ipse Iohannes in sqq. v. 4. 5. 9. 12. 13. illuminationis & regenerationis hominum, a Christo factæ, mentionem faciat; vnde verba præcedentia aut alium habere debent sensum; aut otiosa ab Apostolo commissa esset ταυτολογία. Non igitur non potest tanquam falsissima reiici hæc Socinianorum effati Iohannei interpretatio.

§. XXXVII, Quemadmodum Christus est verus & essentialis Deus (§. 34.): sic etiam *S. scriptura sapissime eum vocat DEVM*, idque I. *in eiusmodi locis, vbi diserte ita dicitur.* Sic I. *Ier. XXIII, 5. 6. XXXIII, 16.* germen Dauidis, i. e. Christus, dicitur Iehoua, quod nomen tamen soli Deo est proprium Ps. LXXXIII, 19. 2. *Act. XX, 28.* Deus proprio sanguine ecclesiam adquisiuisse dicitur, qui Deus non potest esse alius, quam Christus, quia Pater & Spiritus S. non habent proprium sanguinem. Excipiunt quidem Socini affectæ: Deum Patrem intelligi, & sanguinem ei tribui ad amorem significandum, pariter ac ei Zach. II, 8. eodem sensu pupilla tribuitur. Verum ab improprietate in vno loco ad eam in altero loco N. V. C. & in proprietate subsistendum, donec contrarium probetur per regulas hermeneut. præcipue h. l. vbi ἰδιον ἀίμα Deo tribuitur. Ridicula etiam non nullorum exceptio est, quod Deus Pater, sanguine Filii ecclesiam acquirens, adquisiuerit sibi proprio. Quemadmodum enim nec oculi, nec pedes filii (loquor de humanis) pro oculis & pedibus propriis parentis haberi possunt: ita nec sanguis proprius filii Dei pro sanguine Dei patris proprio. 3. *Iob. XX, 28*, vbi Thomas Christo dicit: Domine mi & Deus mi. Equidem hic excipiunt Sociniani, α) *non valere a Thomæ testimonio*, qui errare potuerit, *ad Christi diuinitatem consequentiam.* Ast quod h. l. Thomas non errauerit, ex Christi tacita approbatione patet. β) *Verba esse exclamatiua*, ad Deum quidem, sed non ad Christum directa. Sed id contextui aduersatur, quia ἀντὶ (Christo) dixisse dicitur. γ) *Christum non simpliciter vocari Θεὸν ἑ κύριον*, sed *particula restringente μὲν*, quæ imminuat significationem.

CARPOV. de Trinitate.

D

ficatio-

S. scriptura  
Christum  
vocat Deum.



ficationem vocum Θεός & υἱός. Verum hoc frustra dicitur, quia alias in Hebraico Pf. XXII, i. suffixum (י), nomini diuino נאָ ad-  
ditum, minueret significatum huius nominis diuini, aut si illud in  
Hebraico non fieret, in Græco certe fieret Marc. XV, 34. Ioh. XX, 17.  
quod tamen oppido falsum. Quin potius particula μὲν est signum fi-  
ducia. 4. Rom. IX, 5. vbi Christus dicitur super omnia Deus benedi-  
ctus in sæcula Amen! quæ erat formula, Deum laudandi Rom. I, 25.  
Sociniani excipiunt, a) verba ita esse diuidenda: *Ex quibus est Chri-  
stus secundum carnem. Ille, qui est super omnia Deus, sit benedi-  
ctus in sæcula!* & ita Christum neutiquam dici Deum. Sed obstat  
contextus. Cur enim Christus diceretur esse ex Patribus, cum  
hac restrictione: *secundum carnem sue humanitatem*, si non se-  
quentia, in quibus diuinitas innuitur, etiam ad eum pertinerent?  
Quamuis enim hæc determinatio: κατὰ σάρκα non semper diui-  
nam naturam sibi habeat oppositam. e. g. Rom. IV, I. IX, 3; habet  
tamen in h. l., vbi natura diuina clare opponitur humanæ. β) In  
quibusdam codd. abesse vocera: Θεός. At vt taceam, eam in aliis  
tamen codd. & in versione syriaca antiquissima adesse: si non ades-  
set, reliqua tamen prædicata, sc. quod sit super omnia in sæcula  
laudandus, diuinitatem Christi indicarent. 5. Tit. II, 13. vbi ma-  
nifestationem gloriæ magni Dei & seruatoris nostri Iesu Christi exspe-  
ctare dicimur. Quod autem magnus ille Deus sit Christus, inde  
patet, quod Christus sit ille, cuius gloriæ manifestationem ex-  
spectamus Act. I, II. 6. I. Tim. III, 16. vbi Deus in carne manifesta-  
tus dicitur. Sed is, cui hoc competit, est Christus, Dei Filius Gal.  
IV, 4. Vnde Christum h. l. Deum vocari, sequitur. Nec obstat,  
quod in gloriam dicatur susceptus, cum Deus tamen illam iam  
habeat. De humanitate enim Christi id potest & debet intelligi.  
7. I. Ioh. V, 21. vbi Christus dicitur ἀληθινός Θεός. Equidem hic  
quoque Sociniani excipiunt a) non sequi, quod, quisquis verus  
Deus dicitur, etiam sit proprie talis; pariter ac Christus non est vi-  
tis proprie talis, licet se veram vitem vocet Ioh. XV, I. Sed suffi-  
cit nunc nobis, quod h. l. Christus dicatur ita, siquidem diuinitas  
eius

eius iam ante est demonstrata; ne dicam, sine ratione proprietatem litteræ relinquendam non esse. β) Verba hæc: *ὁ θεός* &c. se referre ad Deum, paulo ante v. 20. dictum, pariter ac 2. Theff. II, 9. particula relatiua etiam non ad proxime, sed ad remotius præcedens referenda sit. Sed quamuis in hoc vltimo loco propter necessitatem vrgentem illud concedatur, negatur tamen in priore, quia particula relatiua ordinariè se refert ad proxime præcedens, & ab ordinario sine necessitate, qualis in loco nostro non adest, non est recedendum, & quia præterea inconueniens est, verba illa de Deo Patre velle intelligere, siquidem is iam in hoc commate & Deus & *ἀληθινός* erat dictus, vt adeo oriosa fuisset repetitio.

Schol. I. Dum prouocauit ad Ier. XXIII, 5. 6, duo attendenda sunt, Nomen Iehoua est nomen Deo proprium. 1) quod nomen *יהוה* sit nomen soli Deo proprium, 2) quod loco citato Ieremia tribuatur Christo. 1) Nomen Iehoua soli Deo proprium esse, non solum euidentissime ex Ps. l. c. sed ex ipsa etiam nominis *יהוה* interpretatione patet. Obseruatum enim est a Philologis, illud descendere a r. *יהוה* vel *יהו* fuit, sed per miram & inimitabilem compositionem ita, vt ( ) cum ( ) desumptum ex 3. pers. fut. Piel, ( ) ex partic. præf. Kal, ( ) ex 3. pers. præter. Kal, vt adeo etymologice significet eum, qui fuit, est & erit modo eminenti. Cum autem modus existendi eminentis non possit alius esse, quam existentia necessaria, siquidem omne ens vel necessario vel contingenter existit, existentia autem contingens omnibus creatis rebus communis est: patet, *יהוה* denotare ens absolute necessario & hinc æterne existens h. e. ipsum ens a se (§. 17.). Cum autem ens a se sit tantum vnicum (§. 17.), nec aliud quam ipse Deus (§. 16. 17.), nec potest vlli enti, si a Deo discedas, nomen Iehoua tribui. Si enim aliud ens voces Iehoua, perinde est, ac si voces ens a se, quod contra veritatem. Et ex eodem fonte fluit, *nomen Iehoua Deo essenziale esse.* Et Deo essenziale. Nomen enim essenziale vocamus, quod per se conditionem vel essentiam rei denotatæ exprimit, qualia in Logica sunt Modorum nomina Barbara, Celarent, cetera, in scriptura S. Iesus Matth. I, 21. Iacob Gen. XXVII, 36. Cum autem nomen Iehoua sit tale, vt ipsum per se & natiuam significationem etymologicam ipsius Dei essentiam exprimat, sc. quod ens a se & hinc infinitum sit (§. 22. 17.), non potest non sequi, hoc nomen Deo essenziale esse. Nec improbable videtur multis, gentiles denominationem Dei, quo eum vocarunt *κατ' ἐξοχήν* Ens, ex hoc nomine Dei essentielle, si





forte iisdem innotuerit, haufisse. Pluribus de his vide HEBENSTREIT Syst. Theol. T. I. p. 334. sqq.

Ieremix l.  
c. Filius  
Dei dicitur  
Iehoua.

Schol. 2. Christum l. c. Ieremix vocari *Iebouam iustitiam nostram*, porro ostendendum est. Series verborum est hæc: postquam v. 8. Deus promiserat germen iustum, Dauidi erigendum, quod iustitiam & ius in terra sit executurum i. e. Messiam, pergit propheta v. 6. יְבוּאָה &c. quæ verba ad litteram hunc sensum producant: *In diebus eius saluabitur Iuda, & Israel habitabit secure, & hoc nomen eius, quo vocabit eum: Ieboua iustitia nostra.* Quis dubitabit, verborum hunc sensum esse: *& hoc nomen eius* (scil. germinis Dauidis, de quo paulo ante v. 5.), *quo vocabit* (sc. Iuda) *eum* (sc. dictum Dauidis germen): *Ieboua iustitia nostra.* Scilicet aut hic debet esse sensus dicti, aut hic: *& hoc erit nomen eius* (Iudæ; est enim suffixum masc. sed Ierusalem est foemini generis in lingua hebræa), *quo vocabit* (germen Dauidis, Messias) *eum* (Iudam): *Ieboua iustitia nostra.* At quo minus hunc amplectamur sensum, obstat, quod ita Messias vna cum populo Iudaico, spiritualiter potius accipiendo pro fidelibus, sibi appropriaret iustitiam Iehouæ. Quod sensu caret. Si enim intelligas iustitiam essentialem, illam per se tanquam verus Deus iam habet (§. 36, n. 6.), nec illam sibi vna cum fidelibus appropriare potest, utpote illius, quatenus infinita est, incapacibus (§. 13. 17.). Si autem intelligas iustitiam, quam agendo patiendoque hominibus promeruit, nec potest illam, ut a Iehoua Patre impetrandam, sibi appropriare, quia promeruit ipse, nec in obtinenda illa fideles ut socios assumere, quia hi potius a Christo accipiunt. Nihil igitur restat, nisi ut priorem potius amplectamur sensum.

Confutatio  
explicationis  
contrariæ.

Schol. 3. At non desunt, quibus alia sedet mente sententia. Nomen: *Ieboua iustitia nostra*, ad Iudam & Ierusalem pertinere arbitrantur. Quod ut probent, 1) vocem יְבוּאָה impersonaliter vertendam dicunt, hoc sensu: *Et hoc erit nomen eius* (Iudæ), *quo vocabit* (quisque) *eum: Ieboua iustitia nostra.* At obstat, significatum impersonalem coniugationis actiuæ Kal minus vsitatum esse, quam personalem. Cum autem per regulas interpretandi significatus vsitatior, si possit fieri, præferendus sit minus vsitato, nostra etiam interpretatio huic erit præferenda, dum in nostra non recedimus a significato personali. Non equidem negamus, in nonnullis scripturæ S. locis 3. pers. Fut. Kal significatum impersonalem obtinere, qualia loca collegit GLASS. Philol. S. Gram. S. Tract. 3. can. 23. Sed de hoc quaeritur: an non significatus personalis coniugationis Kal vsitatior impersonali, quod per inductionem omnium exemplorum scripturæ



pturæ V. T. poterit ostendi? annon significatus vsitatioꝝ præferendus minus vsitato, si potest fieri? quod vtrumque non potest non concedi. Nec prætereundum est, ibi præcipue, notante B. GLASSIO, in tertia perf. verbi Actiui obtinere significatum passiuum vel impersonalem, vbi nominatiuus non est expressus. Ast cum ille in nostro loco possit facillime ex antecedentibus suppleri, nondum est, cur ab actiua significatione recedamus. 2) prouocant ad Ier. XXXIII. 16. quem locum priori parallelum dicunt esse, vti etiam in nonnullis loquendi formulis est. Quia autem in illo extat: *וזה אשר יקרא לה* quod *לה* tanquam foeminini generis ad *צמח* Dauidis tanquam masculinum referri nequit, adeoque ad Ierusalem referendum est: concludunt inde, Hierosolymis hoc nomen: *Iehoua iustitia nostra* tribui ita: *Et hoc (est) quod vocabit (quisque) eam: Iehoua iustitia nostra*, & hinc in loco priore eundem esse debere sensum. At plane non opus est, vt ad hanc explicationem confugiamus. Nam cum *קרי* significet non tantum vocauit, sed etiam prædicauit: verba citata ita possunt verti: *Et hic (scil. germen Dauidis, de quo v. 15., est) qui prædicabit illi (scil. Ierusalem, nempe) Iehoua iustitia nostra*, vt Iehoua Zidkenu sit descriptio prædicantis, & intelligatur in nominatiuo, quia deficit signum accusatiui; vel ita: *Et hoc (est) quod prædicabit (germen Dauidis, de quo v. 15.) ipsi (Ierusalem): Iehouam iustitiam nostram*, nempe se ipsum, vt verum Deum, per cuius iustitiam acquisitam debeamus iustificari. In vtraque interpretatione Iehoua Zidkenu refertur ad germen Dauidis, Messiam, nec ad Ierusalem. Et pariter hanc nostram interpretationem præferendam esse priori, patet inde, quod in hac non opus sit ad significatum impersonalem vocis *קרי* confugere, dum seruiamus personalem, cum e contrario in priori, quam reiicimus, impersonalis sit amplectendus.

§. XXXVIII. II. *In talibus locis Christum S. scriptura vocat* Loca alia.  
Deum, *vbi quod V. T. de vero Deo affirmatur, in N. T. Christo tribuitur.* Huc pertinent (I.) I. Cor. X, 9. coll. Num. XXI, 5. 6. Ex. XVII, 2. 7. Deut. VI, 16. Ps. XCV, 9. Obiiciunt Sociniani, a) Christum esse tentatum in deserto ab Israelitis, non dicere Paulum, sed tantum, quod Israelita tentarint. Ast cum voci *πειραξαι* non addiderit obiectum tentationis, in phrasi præcedente autem de Christo non tentando dictum sit, facile intelligitur, quod vox: CHRISTVM, debeat subintelligi; pariter ac Deut. VI, 16. in



in commate posteriori vox: *Deum* debet suppleri ex priori, dum verba se ita habent: *Non tentabitis Dominum Deum vestrum, quem admodum tentastis in Massa.* β) Christum i. c. esse nomen appellativum, vinctum principem denotans, & indicans Mosen. Sed hoc est contra usum loquendi S. scripturæ & contextum, dum dehortatur Corinthios a tentatione Christi, qui Mosen non poterant tentare. (2.) *Iob. XII, 41. 41. 37. 38. coll. Ies. VI, 1. seqq. ubi Iesaias dicitur dixisse de incredulitate Iudæorum, cum eum, sc. Iesum v. 37, viderit in gloria sua, & de eo locutus sit; cum tamen Iesaias hæc dixerit, dum ארוכי רום ונסנה v. 1. & ירוה v. 3. videbat.* Nec obstat, quod in quibusdam codicibus pro *αὐτῶ* legatur *θεῶ*. Illos enim in Heluetia eo tempore, quo Socini doctrina ibi sedem habebat, editos esse, a criticis est obseruatum, vnde deprauationis suspicionem incurrunt. 3.) *Pf. LXVIII, 18. 19. coll. Eph. IV, 10. 11.* Frustra excipitur, quod Psalmus hic de Christo non agat, quia v. 12. mentio fiat prædicatricum, quales is non adhibuit, sed viros. Nam dicimus tantum, quod verba citata Psalmi de Deo loquantur, contextu teste. Dein si de Christo non sunt intelligenda, Paulus falso citauit, quod inspirationi diuinæ contradicit. Denique verbum *מבשרות* positum esse potest, vel vt subintelligatur *נפשות*, vel per enallagen generis, ad suauitatem & iucunditatem prædicationis euangelicæ indicandam, vt Ecclesiastes dictus est *קהלה*, vel vt alludatur ad triumphum Dauidis, a mulieribus celebratum *1. Sam. XVIII, 7.* (4.) *Pf. XCVII, 7.* adore eum omnes Dii, quod sine dubio dicitur de vero Deo, sed *Heb. I, 6.* de Christo dictum fuisse dicitur. It. *Pf. XLV, 7. coll. Hebr. I, 8. 9. Pf. CII, 26. coll. Hebr. I, 10. 11. 12. Pf. CX, 1. coll. Hebr. I, 13. & Matth. XXII, 43. 43. 44.* (5.) *Ies. XL, 3. coll. Matth. III, 3. Marc. I, 3. Luc. III, 4. Ioh. I, 23.* (6.) *Hof. I, 7. coll. Act. IV, 11. 12. 1. Ioh. V, 11. 12. 13.*

Quomodo argumentum primum formandum sit.

Scholion 1. Argumentum, quod n. 1. ex *1. Cor. X, 8. & Num. XXI, 5. 6.* inter se conferendis formamus, in forma formandum est ita: *Quem Israelitæ in deserto tentarunt, ille est Deus. Christum in deserto tentarunt E. Christus est Deus.* Maior ex loco cit. V. T. minor ex loco N. T. apparet.



ret. Nec cum HEBENSTREITO in Syst. Theol. p. 526. necessarium putamus esse, vt argumentum formetur ita: *Quem Israelitæ præter Mosen in deserto tentarunt, is est verus Deus, Christum &c.* E. Non enim leguntur Mosen Israelitæ tentasse, sed tantum Deum, licet contra illum murmurasse, & locuti esse legantur.

Scholion. 2. Argumentum (n. 3.) ex ll. cc. ita formandum est: *Qui cunq̄ ascendit in altum & captiuam duxit captiuitatem & dona accepit pro hominibus, ille est Deus. Christus &c.* E. Non ignoro, causari Socinianos & in iis Eniedinum, minorem propositionem non exstare Eph. IV, 8. dum Paulus posuit: καὶ ἔδωκε δῶματα τοῖς ἀνθρώποις. At cum in reliquis locutionibus, conueniant Paullus & Dauides, facile patet, phrasæ psalmi & paulinam sc. *quod accepit dona pro hominibus & quod hominibus dedit dona*, sibi inuicem non opponendas, sed subordinandas esse. Ideo scil. accepit dona pro hominibus, vt iis daret, ita vt τὸ accipere sit antecedens & dare consequens. Noto enim est notius sedulis scripturæ S. scrutatoribus citationes dictorum V. T. in N. non semper ad verba, sed sæpius ad sensum fieri.

§. XXXIX. Cum igitur *Christus* sit verus essentialisque Deus (§. 34.), pariter ac pater (§. 30.), & toties in S. scriptura vocetur Deus (§. 37. 38.) dubium non est, quin *eodem sensu ei nomen Dei tribuatur, quo tribuitur Patri, b. e. propriissimo.* Nam nulla adest ratio, cur in sensu improprio diceretur Deus, cum sit Deus in sensu propriissimo (§. 2.) I. Ioh. V, 20.

Scholion. 1. Vtor termino proprietatis & improprietatis in significato recepto. Terminus *proprie* de ente prædicari dicitur, si omne, quod per illum denotatur, in illo inuenitur; si minus, *improprie*. Sic Deus proprie dicitur is, qui omne id, quod per hunc terminum denotatur, possidet sc. vt spiritus a se & auctor & rector totius vniuersi sit, Hoc ipsum enim est, quod per hunc terminum denotatur (§. 21. 23. 28.). Hinc recte Christum in sensu proprio Deum dici asserimus, quia quæ Deo in sensu proprio competunt, in Christo inueniuntur. Est enim Spiritus a se (§. 34.) & auctor rectorque vniuersi (conf. Schol. 1. §. 41.). Et hoc sensu Christum in S. Scriptura Deum appellari dicimus.

Schol. 2. S. Scriptura, dum proprietatem diuinitatis Christi indicare vult, vocat eum τὸν ἀληθινὸν θεόν, verum Deum I. Ioh. V, 20. h. e. eiusmodi Deum, qui habeat omne, quod notio diuinitatis inuoluit (§. 34. Schol.). Nec obstat Ioh. XV, 1. vbi Christus se ipsum vocet Ἰησοῦς ἁμπε.

Quomodo tertium?

Quo sensu Christus dicitur Deus.

Et Deus proprietatis?

& ἀληθινός?

ἁμπε.



ἀμπελον τὴν ἀληθινὴν vitem veram, vt inde concludas, Christum etiam esse vitem proprie sic dictam. Distinguo enim inter *vitem proprie talem corporalem & spiritualem* & concedo, quod vitis propria spiritualis sit, licet non sit corporalis.

Error Sociniano-  
rum nota-  
tus.

§. XL. Errant igitur Sociniani, dum veram Christi diuinitatem negantes, 1. hoc tantum sensu eum vocari Deum, adserunt, quod in multis Deo fuerit & sit similis, diuina auctoritate & donis potentiaque pollens (§. 39. 1.), 2. eorum, quæ in V. T. de vero Deo dicta sunt, citationes, ad Christum in N. T. relatas (§. 38.), pro nudis accommodationibus habent, vel propter similitudinem Christi cum Deo qualemcunque, vel propter illius erga Deum subordinationem adhibitis, quæ est sententia Schlichtingii in comm. in c. 1. Hebr. (§. 39.). Quibus etiam obstat, quod apostoli talia loca contra Iudæos, diuinitatem Christi negantes, pro illa probanda adduxerint.

Quo sensu Sociniani, licet falso, Christum Deum proprium esse dicant?

Scholion. 1. Non prætermittenda est h. l. fraus Socinianorum, qui dum Christum in quam plurimis S. scripturæ locis Deum vocari vident, nec vllam rationem idoneam, cur non in sensu proprio ita dicatur, afferre possunt, alium fingunt vocis θεός significatum proprium, eo consilio, vt pro hypothese erronea Christi diuinitatem essentialem negare, & tamen in sensu proprio eum Deum dici in S. scriptura, concedere possint. Nempe *nomen Dei in significato proprio dignitatis & eminentiæ nomen esse dicunt, vt designet eum, qui vel potentia seu viribus vel potestate seu imperio vel viraque re eminent.* vid. CRELLIUS I. 1. de Deo & eius attributis c. 1. & 13. Hinc Christum in sensu proprio Deum esse, concedunt, quia, dum ei a Patre nomen datum est super omnia Phil. II, 9. potentia & imperio omnibus creatis rebus antecellat, adeoque eatenus summo Deo similis sit; negant eum Deum essentia vel summum esse. Quis autem non videt, fingi & colorari talia, non nisi in gratiam hypotheseos? Quod si vero nomen Dei proprie denotat tantum ens potentia vel imperio instructum, quo demum nomine eum, qui ens supremum & infinitum & independens est, proprie denotabunt? Sed frustra talia comminiscuntur, quia Christum in vero sensu proprio, non ficticio, Deum esse, demonstraui-  
mus (§. 39.).

Apostoli ex locis V. T. pro-

Scholion. 2. Dico: *Apostolos loca V. T. sepe pro probanda diuinitate Christi afferre.* Euidens huius rei documentum est Hebr. I. vbi Apostolus,



folus, Christi siue filii Dei v. 1. præcellentiam præ omnibus rebus creatis & ipsis angelis ostensus v. 4. adducta prius generatione æterna ad imaginem Patris v. 3., opere creationis, conseruationis, redemptionisque ei tributo v. 2. 3. vt & dominio vniuersali, inter alia Patrem, filium in mundum introducentem, dixisse ait: *Adorabunt eum omnes angeli Dei.* Nemo igitur non videt, Apostolum argumentari ita: *Quemcunque angeli omnes adorare iubentur, ille est præstantior angelis. Filium Dei vel Christum omnes angeli adorare iubentur. E. Christus est angelis præstantior.* In quo argumento, vt maior ex notione adorationis patet, quam inferior quidem superiori, non superior inferiori præstat; ita minorem Apostolus Ps. XCVII, 7. probat. Fingamus autem, Psaltem l. c. non loqui de Christo, sed de Deo summo, a Christo distincto, & locum illum tantum accommodari ad Christum, argumentum Paulli erit ita formandum: *Quemcunque omnes angeli adorare iubentur, ille est præstantior angelis. Deum summum, a Christo distinctum, omnes angeli adorare iubentur. E. Christus est præstantior angelis.* Quis non videt absurditatem argumenti, quæ ratione terminorum laborantis? quale scribendi genus Apostolo esset indignissimum.

bant diuinitatem Christi.

§. XLI. Quicumque est verus Deus, illi etiam opera diuina, soli Deo propria, & in quibus Deus essentialiter & in oppositione ad creaturas consideratur (tota enim essentia diuina, vt a se, creaturis, vt dependentibus, est opposita §. 16. 21.), debent competere. Christo igitur illa opera diuina debent competere (§. 34.). Hinc cum creatio, conseruatio, concursus generalis & miraculorum productio sint opera soli Deo propria (§. 23. 24. 25. 27.), & talia, in quibus Deus in oppositione ad creaturas & hinc essentialiter spectatur, quod est euidens ex notionibus (§. §. cit.), creatio, conseruatio, concursus generalis, & miraculorum productio debent competere Christo.

Christo competunt opera soli Deo propria eaque essentialia.

Scholion. I. Sic Christo tribuitur i. Creatio Ioh. I, 3. coll. 14. de quo loco in superioribus iam actum est §. 36. vt & Col. I, 16. Nec obstat, quod h. l. particula *dià*, quæ causam instrumentalem denotare solet, adhibeatur. Cum enim sæpe etiam causam principalem denotet e. g. Gal. I, 1. I. Cor. I, 9. Hebr. II, 10. h. l. etiam potest eam denotare, & quod actu denotare debeat, apparet inde, quod alibi Christo, vt causæ principali, creatio apertius tribuatur Hebr. I, 5. 8. 10. II. coll. Ps. CII, 26, vt etiam

Consensus scripturæ.

CARPOV. de Trinitate.

E

tri-



tribuenda est per demonstrata. 2. *Conseruatio* Hebr. I, 3. Col. I, 17. Ioh. V, 17. 18. 3. *miraculorum productio*, dum, ne de innumeris aliis dicam, mortuos resuscitat virtute propria Ioh. V, 21. 28. 29, quemadmodum se ipsum etiam resuscitauit Ioh. II, 19. X, 18. Mortuorum resuscitatio autem sine dubio est effectus supernaturalis siue miraculum. Excipiunt a) Christum non posse virtute propria mortuos resuscitare, quia alias Lazarum resuscitaturus, non supplicasset antea Patri Ioh. XI, 41. 42. 43. Sed negatur consequentia, quia, vt homo exinanitus eam virtutem a Patre exorauit, quam vt Deus habebat ante Ioh. V, 21. β) Patrem resuscitasse Christum Act. II, 24. III, 15. XVII, 31., quod opus non fuisset, si ipse virtutem se resuscitandi habuisset. Sed Patris & Filii virtus est eadem Ioh. XVII, 10.

Vindica-  
tur expli-  
catio loci  
Col. I, 16.  
contra  
Clericum.

Schol. 2. Non est autem hic silentio inuoluenda inconuenientissima paulini effati Col. I, 16. explicatio, quam dedit Liberius de S. Amore i. e. CLERICVS in Epp. Theol. p. 64. sq. Dabo ipsius Auctoris licet prolixiora verba, vt rectius mens eius introspiciatur. Primo, inquit, per omnia intelligi non puto omnes creaturas, quia ea voce aliter vitur infra Apostolus v. 20. vbi ait: Per Christum conciliata esse omnia in caelis & in terra; nam omnia in terra reconciliata non sunt, sed tantum fideles. Eodem sensu vocem, omnia, in v. 16. sumo. Verbum creare, quo hic vitur Paulus, etiam ambiguum est, nam non modo de vetere, sed & de noua creatione sumitur vid. Eph. II, 10-15. De ea autem locum hunc intelligendum inde patet, quod Apostolus caelum & terram creata esse non dicit, quae est locutio, quae hoc in negotio fere vituntur scriptores S. sed omnia, quae in caelis & terra sunt. Huc accedit, quod Christus in versu precedenti dicitur πρωτότοκος πλάσης κτίσεως, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη &c. Nimirum primogenitus est omnis creatura, quia Deus per eum sibi creauit filios, & vt habet Paulus Rom. IX, 29. Deus nos predestinauit, vt conformes essemus imagini Filii eius, vt esses primogenitus in multis fratribus. Hac effecerunt, vt huic loco sensum hunc esse crederem: Per Christum homines & angelos in nouum statum translatos esse, quia angelorum caput factus est, cum prius Deum tantum sibi superiorem agnoscerent & eos cum hominibus in vnā familiam coniunxit. Atque ea de causa homines & angelos creatos fuisse a Christo, dici, mirum non est, quia apud Hebraeos creare & facere saepe sumuntur pro denuo creare & facere, seu instaurare, quia carent verbis compositis vid. Ps. 104. v. 30. Eph. IV. 24. Idem etiam obseruare est apud Latinos, quamuis verbis compositis non careant, vt & apud Graecos, apud quos vrbium instauratores conditores vocari solent. Vid. SAM. BOGHARTI Geograph. S. P. 2. L. 1. c. 34. vbi laudat Iftodorum



dorum *Hispalensem*, qui ait, *Hispaliam a Iulio Cesare conditam fuisse, quæ tamen multis ante Seculis a Phœnicibus edificata fuerat.* &c. Verum enim vero α) quamvis v. 20. τὰ πάντα non significet omnes res creatas, sed omnia, quæ reconcilianda erant, non iade sequitur, v. 16. idem significare, sed potius non significare idem, quia si v. 16. τὰ πάντα omnes reconciliandos & κτίσεν instaurare denotare debet, ex mente auctoris dicti, versus 16. & 20. idem significatus, adeoque otiosa erit ταυτολογία. β) nec negandum est, verbum creare interdum de noua creatione intelligi a scriptoribus S. sed hic est significatus improprius, qui assumendus non est sine necessitate, qualis in nostro loco non adest. Vnde rectius in significato proprio vocis creare subsistimus. γ) nec ideo vox creare h. l. pro instauratione, per Christum facta, potest intelligi, quia inter res a Christo creatas numerantur etiam angeli, qui, dum nunquam lapsi, nunquam a Christo instaurati sunt. Nullius momenti est effugium: angelos bonos eam ob causam dici a Christo creatos, quia eius imperio, tanquam capitis, fuerint subiecti, cum antea soli Deo subfuerint. Quis enim horum verborum: *angeli per Christum creati vel (loquor ex hypothese) instaurati sunt:* hunc sensum agnoscat: *angeli ante iam existentes imperio Christi subiecti sunt redditi?* Creatio inuoluit nouam entis productionem, adeoque de ente non potest dici, quatenus nouam tantum relationem ad superiorem acquirit. Quis populum per noui regis constitutionem creatum dicet? Instauratio autem circa internam rei naturam versatur, eam in meliorem conditionem transferens. Quis igitur eam predicabit de eo, qui qua internam suam naturam manet, vti erat ante, & nouo tantum capiti subiicitur? δ) Nec obstat sensui creationis proprio, quod omnia, quæ in cœlis & terra sunt, dicantur creata. Quomodo enim hoc sequitur: *Apostolus dicit, omnia, quæ in cælo & terra sunt, a Christo esse creata, non autem meminit b. l. ipsius cæli & terræ. E. non ipsa creatio, sed instauratio tantum est in Apostoli verbis intelligenda?*

§. XLII. Potest hoc argumentum pro diuinitate Filii adstruenda ita etiam inuerti: Cuicumque competunt creatio, conseruatio, miraculorum productio, ille est verus Deus, quia hæ sunt actiones, soli Deo propriæ (§. 23. 24. 25. 27.). Sed Filio Dei competunt (§. 41. not.). *E. Filius Dei est verus Deus.*

§. XLIII. Porro dum Deo *supremum in res omnes dominium* competit (§. 28.), Christus autem est verus Deus (§. 34.), *Christo id etiam est tribuendum.* Hebr. I, 8. 9. Et dum Deus est in-

Aliud argumentum pro Diuinitate Christi.

Filio Dei competit dominium supremum





judicium  
vniuersa-  
le. *dex totius vniuersi* Gen. XII, 25. 1. 3, Christus etiam pro illo est  
habendus, Ioh. V, 27. 28. 29. Act. XVII, 31.

Explica-  
tur locus  
Ioh. V, 27. Schol. Quod attinet ad locum Ioh. V, 27. dantur, qui verba Christi:  
& potestatem dedit ei (filio), & iudicium instituendi, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστὶ  
vertunt: quatenus filius hominis est. Ast ne dicam, ita vocis significatum  
propriam relinqui sine necessitate, optimū sensum generat acceptio  
vocis ὅτι pro quia. Hoc enim dicit Christus: quia filius Dei gerit na-  
turam humanam visibilem, in qua tanquam summe exinanitus ab homi-  
nibus visus est; Deus autem magnum iudicium visibile olim instituet:  
ideo filio appropriatiue hoc concedit, ut ille magnum illud & visibile  
iudicium solennitate cum maxima institueret, & ita per gloriam summam  
prior ignominia compensaretur. Conuenientissimum enim erat, ut illa  
diuinitatis persona iudicium solennissimum visibiliter institueret, quæ  
gerit naturam visibilem, quæ non est alia, nisi filius.

Cultus re-  
ligiosus. §. XLIV. Actiones, respectu alterius susceptæ, quarum mo-  
tuum sunt perfectiones alterius, dicuntur *cultus*. Vnde patet,  
ex perfectionibus summis summum etiam cultum resultare debe-  
re, & hinc, quia solus Deus summam perfectionem possidet (§. 13.  
17.), summum cultum, qui *religiosus* dicitur, soli Deo tribuen-  
dum esse. Cum igitur Christus sit verus Deus (§. 34. 42.), pariter  
ac Pater (§. 30.), *Christo etiam cultus religiosus exhibendus est*, pari-  
ter ac patri Ioh. V, 23.

Consensus  
scripturæ  
S. Scholion. Hinc Christus adorandus est tam ab angelis vniuersis Hebr.  
I, 6, quam ab hominibus tum viuentibus 1. Cor. I, 2. Luc. XXIV, 52. Ps. II, 12.  
tum defunctis Phil. II, 10, in sæcula laudandus Rom. IX, 5, in ipsum creden-  
dum Ioh. III, 16. & sperandum Rom. XV, 12. 1. Cor. XV, 19, ipsius no-  
mine benedictio impertienda 1. Cor. XVI, 23, in ipsum denique sumus ba-  
ptizandi Matth. XXIII, 19. quia hæc omnia Patri competunt, Matth. IV,  
10. Nec obstat, quod Deus alteri honorem suum dare nolit Ies. XLII,  
8. Non vult enim Deus cultum sibi debitum ei dare, qui essentialiter a  
Deo differt. Sed filius non differt essentialiter a Patre, quia essentia di-  
uina ipsi æque competit ac Patri (§. 30. 34.).

Cui essen-  
tia diuina  
competat. §. XLV. Cuiunque per se competunt attributa, soli Deo  
propria, illi competit essentia diuina (§. 31.). Cui autem per se  
competit omniscientia, omniscientia & omnipresentia, illi per  
se competunt attributa, soli Deo propria (§. 19. 26.). *E. cuiunque*  
*per*



*per se omniscientia, omnifapientia, omnipraesentia competunt, illi essentia diuina debet competere.*

§. XLVI. Illi, qui in S. scriptura dicitur *Spiritus S. vel Spiritui S. Dei, per se competit omniscientia, omnifapientia, omnipraesentia.* I. Cor. II, 10. II. vbi Spiritus Dei omnia, & ipsas profunditates Dei scrutari, & quæ in Deo sunt, solus nosse dicitur. Quisquis autem omnia & ipsas profunditates Dei scrutatur, & solus nouit, quæ in Deo sunt, is sine dubio est omniscius. De scientia enim quorundam, quæ in Deo sunt, non potest dici, quod illam habeat solus Dei spiritus, quia vel homines multa, quæ in Deo sunt, ex ratione cognoscunt. Quisquis autem omnia, quæ in Deo sunt, nouit, debet esse omniscius, quia in Deo omnium rerum scientia deprehenditur (§. 18.). Excipi solet  $\alpha$ ) Falsum esse, quod quisquis omnia scrutatur, omnia etiam sciat, quod constat exemplo hominis. Sed scrutari sæpe S. scriptura dicit de accuratissima cognitione, vti Deo scrutatio cordium, i. e. cognitio cogitationum absconditarum tribuitur Ier. XVII, 9. 10. Pl. VII, 10. Rom. IIX, 27. Apoc. II, 23. Potest igitur h. l. etiam ita intelligi & quod debeat, patet ex v. II.  $\beta$ ) Profunda Dei non significare omne obiectum scientiæ diuinæ, sed abdita Dei consilia circa salutem hominum; non autem sequi, quod quisquis illa cognoscit, sciat omnia. Ast cum Paullus vniuersaliter loquatur & nulla restringendi ratio adsit, non opus est restrictione, præsertim cum Paullus addiderit vocem  $\pi\acute{\alpha}\nu\tau\alpha$  v. 10, & ab vniuersali ad particulare argumentetur, rationem possibilitatis eius, quod spiritus S. omnem salutis viam apostolis reuelauerit, in eo, quod omnia sciat, quærens. Ex hac Spiritus S. omniscientia oritur, quod Christus illum promittat discipulis suis, tanquam omnis veritatis doctorem & futurorum nuntium Ioh. XIV, 26. XVI, 13. 14.

2. *Omnifapientia* Ies. XL, 13. 14, vbi nemo consiliarius dicitur esse spiritus Dei, licet omnia optime disponat; vnde sui ipsius in omnibus consiliator sit, necesse est. Quisquis autem in omnibus sui ipsius consiliator est optimus, h. e. omnia media ad fines obtinendos cognoscit (consultare enim idem est, ac media ad finem quærere)



rere), is summam sapientiam habeat necesse est (§. 19.). Vnde Spiritus S. absolute etiam dicitur spiritus scientiæ & sapientiæ Ies. XI, 2. 3. *Omnipresentia* Pl. CXXXIX, 7. seqq.

Monitum. Scholion. His autem perfectiones spiritui S. competere per se, ex ipsis ll. cc. intelligitur, dum nulla adest ratio, cur communicatiue tantum, sc. eo sensu, qui supra (§. 26.) explicatus, ei competere, dicas (§. 2.).

Spiritus S. est verus Deus. §. XLVII. Spiritui S. essentia diuina competit (§. 45. 46.). E. *Spiritus S. est verus Deus.* Nam cuiusque essentia diuina competit, vt sit spiritus a se, ille est verus Deus (§. 21.).

Error Bid-  
lei de spi-  
ritu S.  
1) Ioh. Bidle, Anglus, qui *in confessione fidei de Trinitate* anno 1648. Angl. edita, spiritum S. pro præcipuo quodam angelo, Dei Christique ministro, singulariter de cœlo misso ad ecclesiam sanctificandam, propter excellentiam, & familiaritatem cum Deo ex reliquo angelorum numero exempto, & in Trinitatem cooptato, ad tertiam personam constituendam, declarauit. Nec obstat a) quod I. Tim. V, 21. mentio fiat Dei & Iesu Christi & electorum angelorum. Non enim sequitur: Quicumque cum Deo & Christo coniungitur, ille est spiritus S. Atqui angeli electi &c. E. Nempe vt taceam, hoc argumentum non probare, quod spiritus S. sit præcipuus angelus, sed cœtum angelorum electorum, contra intentionem obiectantis; negatur maior. Dum enim angeli etiam boni gaudent benefactis hominum Luc. XV, 10. illi etiam in obtestatione Paulina poterunt cum Deo Christoque coniungi. b) quod spiritus S. a summo Deo distinguatur, quando e. g. dicitur spiritus Dei. Non enim a summo Deo, essentialiter spectato, distingui potest, qui ipse habet essentiam diuinam, sed tantum a personaliter spectato sc. a patre & filio. c) quod non de suo loqui, sed ab alio audire, quæ præfert, dicatur Ioh. XVI, 13. 14. Ad hoc enim dein respondebimus (§. 73.). d) quod dicatur mitti a Deo. Si enim missio omnis aduersaretur diuinitati, nec filius posset esse verus Deus, contra demonstrata, quia a Patre mitti dicitur Gal. IV, 4. 2) Sandius, pro cœtu angelorum bonorum spiritum S. habens. Frustra is obiecit multitudinem donorum spiritus S. Nam a multitudine donorum ad multitudinem donantium neutiquam V. C. prouti aperte docet Paulus I. Cor. XII, 4. sqq. Reliqua nullius momenti argumenta discussit B. ZACH. GRAPVVS in Theol. recens controu. qu. 21. p. 160. sqq.

vt & Sandii.

§. XLVIII.



§. XLVIII. Quicumque est verus Deus, illi omnia attributa diuina debent competere (§. 35.). E. Spiritui S. omnia attributa diuina debent competere (§. 47.).

Illi omnia attributa diuina competunt.

Scholion. Hinc spiritui S. tribuitur omnipotentia, quando spiritus potentiae dicitur Ies. XI, 2. liberrima voluntas I. Cor. XII, 11. veracitas & sanctitas perfectissima Ioh. XIV, 17.

Consensus scripturae S.

§. XLIX. Spiritui S. debent opera diuina, soli Deo propria, in quibus ille essentialiter & in oppositione ad creaturas consideratur, competere (§. 41. 47.). Hinc creatio, conseruatio, concursus generalis, miraculorum productio debent Spiritui S. competere (§. 41.).

Vt & opera diuina.

Scholion 1. Creatio spiritui S. tribuitur Pl. XXXIII, 6. Iob. XXXIII, 4. Gen. I, 2. vbi non est, cur per אלוהים ventum validum, qui tunc ne erat quidem, aere nondum existente, aut aliud quid intelligamus, quia proprietates litterae sine ratione relinquenda non est. Pariter miraculorum productionem S. scriptura spiritui S. tribuit, quando, largissime eum dona miraculosa ecclesiae concedere, asserit I. Cor. XII, 10. 11. & conceptionem Christi supernaturalem eius tribuit operationi Luc. I, 35.

Consensus scripturae S.

Schol. 2. Studiose autem h. l. & supra (§. 41.) dixi: opera, soli Deo propria, in quibus ille essentialiter & in oppositione ad creaturas consideratur; ne opera ad totam essentiam diuinam spectantia, confundantur cum personalibus, de quibus deinceps.

Monitum.

§. L. Potest hoc argumentum etiam inuerti ita: Quisquis creat, & dona miraculosa ecclesiae confert, ille debet esse verus Deus (§. 23. 27.). Cum igitur spiritui S. illa competant (§. 49. not.), spiritus S. est verus Deus.

Aliud argumentum pro diuinitate Sp. S.

§. LI. Quemadmodum spiritus S. est verus Deus (47. 50.), ita etiam saepe in S. scriptura ita appellatur, & quidem *l. ita, vt in vno loco hoc nomen ipsi detur.* E. g. 1.) Act. V, 3. 4. vnde ita concludimus: Cuicumque praeter Petrum mentitus est Ananias, ille est Deus v. 4. Spiritui S. &c. v. 3. E. spiritus S. est Deus. Excipitur hic  $\alpha$ ) negari minorem, quia l. c. v. 3. non dicitur, quod mentitus sit spiritui S., sed spiritum S. Ast Henr. Stephani in Thesaurio linguae Graecae ad vocem  $\psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\mu\omicron\varsigma$  obseruat, in Graeca lingua  $\psi\epsilon\upsilon$

In S. scriptura vocatur Deus.



ψεύδομαι, in sensu mentiendi alicui, vel aliquem fallendi, cum casu personæ dandi & accusandi construi, id quod patet etiam ex Versione LXX, 2. Reg. IV, 16. Ies. LVII, 11. Quod autem h. l. ψεύδεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον idem sit, ac mentiri spiritui S. patet tum inde, quod Ananias non mentitus est spiritum S. siue simulavit, se extraordinariis donis spiritus S. quæ simpliciter spiritus S. vocari solebant Ioh. VII, 39. Act. XIX, 2. 6. esse instructum, sed retinuit partem pecuniæ, partemque pro tota ad pedes apostolorum, donis spiritus S. extraordinariis instructorum, reposuerat, tum ex v. 4. β) Falsam esse maiorem, quod ille, cui mentitus est Ananias, sit verus Deus, quia Petro etiam, qui Deus non est, est mentitus. Sed non ita formata fuit maior, sed pro sensu v. 4. quod Ananias non hominibus solum, sed ipsi spiritui S. sit mentitus. 2) 1. Cor. III, 16. vnde argumentamur: Cuius templum sunt fideles, ille est Deus. Sed spiritus S. templum sunt fideles. E. Excipitur: spiritus h. l. dicitur spiritus Dei, & hinc non est ipse Deus. Sed spiritus Dei est idem ille, qui alias spiritus S. dicitur (§. 29.), cuius diuinitas iam est demonstrata (§. 47. 50.); & Deus cuius dicitur spiritus, h. l. personaliter pro Patre & Filio debet sumi, vt dein dicetur. 3.) Huc refertur 2. Sam. XXIII, 2. 3. vnde fit argumentatio: Quicumque ad Dauidem locutus est, ille est Deus. Spiritus S. & c. E. Excipitur, quod spiritus Dei per Dauidem locutus dicatur, non ad illum. Sed sunt hæc subordinata & connexa. Ex sermone enim ad Dauidem ortus est sermo per eum.

Loca alia.

§. LII. II. In talibus locis S. scriptura spiritum S. Deum vocat, vbi, quod in V. T. de vero Deo dicitur, in N. T. Spiritui S. tribuitur e. g. 1.) Ies. VI, 3-9. coll. Act. XXIX, 25. vnde fit argumentum: Quicumque verba citata locutus est ad Iesaiam, ille est verus Deus (per l. c. Ies.); spiritus S. & c. (per l. c. Act.) E. Si dicas, quod spiritus S. per Iesaiam locutus dicatur, respondeo vt ante (§. 51. n. 3.). 2) Ps. XCV, 7-11. coll. Hebr. III, 7-10. Vnde argumentor: Quicumque l. c. dicit, se fuisse tentatum a patribus, is sine dubio est



est Deus. Ex. XVII, 2. 7. Sed spiritus S. &c. E. 3) *Ier. XXXI, 31. 33. coll. Hebr. X, 15.*

§. LIII. Cum igitur spiritus S. sit verus Deus (§. 47. 50.), <sup>Quo sensu</sup> pariter ac Pater (§. 30.) & Filius (34. 42.), & sapissime in S. scriptura ita dicatur (§. 51. 52.), dubium non est, quin eodem sensu spiritui S. nomen Dei tribuatur, quo Patri & Filio h. e. *propriissimo* (§. 39.).

§. LIV. Cum Deus cultu religioso sit prosequendus (§. 44.), <sup>Est cultu religioso prosequendus.</sup> spiritui S. etiam *cultus religiosus est exhibendus* (§. 47. 50.).

Scholion. Hinc 1.) Ies. VI, 1-10. Seraphini celebrabant sanctitatem etiam spiritus S. siquidem quod ibi refertur, tribuitur spiritui S. Act. XXIX, 25. 2) In nomine spiritus S. etiam sumus baptizandi Matth. XXIX, 19. ex quo loco totam Trinitatem probat HEBENSTREIT in Syst. Theol. T. I. p. 511. 3) Salus & gratia ab eo impertienda 2. Cor. XIII, 13. 4.) Ad eum, tanquam testem & vindicem, prouocandum, exemplo Pauli Rom. IX, 1. Nec obstat, quod fideles Ephesini ne sciuerint quidem, an detur spiritus S. & fideles dicantur tamen Act. XIX, 2. 5. Nam spiritus S. ibi sumendus est pro donis spiritus S. miraculosis & extraordinariis, in Ecclesia prima per manuum impositionem credentibus conferri solitis, quod patet ex v. 3-6. coll. Ioh. VII, 39., ubi spiritus S. tunc nondum fuisse dicitur, non qua existentiam, siquidem est æternus (§. 48. 18.), sed qua effusionem per dona largissima extraordinaria & miraculosa.

§. LV. Pater est verus Deus (§. 30.), vt & filius (§. 34.) & spiritus S. (§. 47.); nec tamen sunt, nec esse possunt plures Dii, <sup>An P. F. & Sp. S. essentia differant.</sup> quam vnicus numero (§. 17.). Vnde sequitur, *Patrem, Filium & spiritum S. eandem numero essentiam diuinam habere.*

Scholion 1. Hinc tres vnum esse dicuntur 1. Ioh. V, 7. cuius loci <sup>Consensus scripturæ.</sup> originem diuinam optime vindicauit b. BVDDEVS in Instit. Theol. Dogm. I. 2. c. 1. §. 46. Ecclesia autem Græca hanc essentia diuinæ unitatem voce *ὁμοουσίαν* exprimere solebat.

Schol. 2. *Αὐθεντία* loci cit. Iohannei in dubium vocandi, occasio- <sup>Origo diuina loci</sup> nem dedit, quod in multis codicibus sequiori ætate deesse deprehendetur, cuius rei culpa in vetustiores Trinitatis hostes iure conicitur. <sup>1. Ioh. V, 7. vindicatur.</sup> Postest autem varie illius diuina origo & quod in ipso Iohannis *ἀπολογισμῶ* adfuerit, demonstrari. Ipsi Patres ecclesiæ vetustissimi & Ante-Nicæni <sup>passim</sup> CARPOV. de Trinitate. F



passim illius mentionem faciunt, adeo vt ipse Athanasius Tom. 1. opp. fol. 10. edit. Comelin. illum aduersus Arium absque contradictione in aciem produxerit & Hieronymus in prologo in 7. Epp. Canon. ab infidelibus (in latinum eloquium) translatoribus, qui patris verbiq; ac spiritus testimonium, 1. Ioh. V. positum, omiserant, multum erratum esse a fidei veritate, scribat; negetque codicum vetustissimorum in h. l. varietatem. Quod non scripsisset, nisi loci originem extra controuersiam positam esse, credidisset. Præterea alia, a doctissimis viris in medium producta. Prouocant alii ad vetustatem & auctoritatem copiamque codicum, in quibus hoc effatum Iohanneum deprehendatur. Evidentissime illius diuinitas apparet ex ipsa textus cohesione. Nempe 1) integro fere capite Iohannes in eo est, vt commendet fidem in Christum, amoris in Deum fratremque genitricem; vnde eam proponit vt criterium regnitorum v. 1., amoris in Deum & in alios principium v. 1. 3, & causam victoriæ in mundum v. 4. 5. Versu 5. mentione Christi facta, pergit: *eum venire* (ad homines, gratiam offerentem) *aqua* (baptismali) & *sanguine* (suo in S. cœna, cuius vtriusque symbolum erat aqua & sanguis, ex Christi, in cruce pendentis, latere aperto profluens). Non enim aliud quid commode poterit per aquam & sanguinem, quò Christus venit, intelligi. Facta autem ita sacramentorum, tanquam symbolorum externorum, mentione, ne ad externa tantum negotium salutis redire credamus, addit: *Et spiritus est testificans, quod spiritus sit veritas*. Dum spiritus in S. scriptura etiam denotat efficaciam euangeliū de Christo, ceu videre est ex 2. Cor. III, 6. vbi spiritus, in oppositione ad literam legis, viuificare dicitur; actiones autem, qualis est testificatio, ordinarie sunt suppositorum: potest hæc locutio ita intelligi: *Et spiritus est testificans, quod efficacia euangeliū de Christo vel efficacissimum euangelium sit veritas*. Sed quæritur: vtrum spiritus noster i. e. anima, an spiritus S.? Cum animam nostram non simpliciter spiritum, sed spiritum nostrum vocare soleat scriptura S. e. g. Rom. II, 16, spiritus S. autem sæpiissime simpliciter spiritus vocetur e. g. Ioh. I, 32. prætereaque Ioh. XV. 26. spiritus S. de Christo testari dicatur: hunc verborum dicimus esse sensum: *Et spiritus S.* (& per ipsam vim verbi insitam & per varia dona miraculosa, in ecclesia primitiua vigentia) *testatur, quod euangelium de Christo, quod scil. per fidem in eum debeamus saluari v. 11. 12., sit veritas*. Versu 7. huius asserti rationem reddit Apostolus: Mirum non esse debere, quod spiritus S. id testetur, siquidem omnes tres in cœlo, pater, filius & spiritus S. idem testentur; licet hi tres sint vnum. Vnde evidens est, Apostolum per con-



consequentiam immediatam a compositis ad diuisa argumentari. Sed ut eo magis huic veritati crederemus, Apostolus v. 8. adducit tres alios testes in terra, spiritum, aquam & sanguinem h. e. verbum diuinum efficacissimum, baptismum & S. cœnam coll. v. 6. & hos tres εἰς τὸ ἓν esse i. e. ad vnum, scil. salutem hominis, per filium Dei obtinendam, tendere asserit. Fingamus iam, v. 7. esse spurium nec a Iohanne profectum, α) cadit ratio asserti v. 6. positi, β) hinc nec v. 8. cum 6. per particulam καὶ, vtpote quæ non est particula probandi, satis cohæret, cum e contrario optime per eandem cum v. 7. connectatur, γ) sine ratione i. e. inconuenienter v. 8. additum est ἐν τῇ γῆ, nisi hoc se referat ad tres testes ἐν τῷ ἁγίῳ, δ) v. 8. esset inanis repetitio v. 6., scriptori sapienti, quin Deo, indignissima. Evidentissime igitur ipse contextus docet, verbum septimum non spurium, sed ab ipso Iohanne profectum esse.

Schol. 3. Patrem, filium spiritumque S. vnum esse essentia s. eandem numero essentiam habere, euidenter est demonstratum & nulla nos cogitatio, cur essatum Iohanneum: ἕτοι οἱ τρεῖς ἐν ἑσσι aliter intelligamus; maxime cum absolute & sine restrictione dictum sit, quod tres sint vnum. Sed dissentientes habemus, qui vnitatem consensus intellectam volunt. Non negandum est, vnitatem consensus in testimonio, de salute, per Christum obtinenda, perhibito, dari. Omnes enim tres testari dicuntur. Negatur, solam illam intelligi, ipsius essentia vnitatem exclusam. Cur enim illa excludatur, cum actu adsit? Cur non verba Apostoli in ea intelligamus latitudine, quæ salua veritate possunt capi? Cur, si sola consensus vnitatem intelligenda, cur, inquam, non dicit Apostolus, tres in cœlo testes εἰς τὸ ἓν, vti de tribus in terra testibus v. 8. sed ἓν esse dicit, dum per priorem locutionem vnitatem consensus multo clarius exprimi potuisset? Cur dicit, quod vnum sint? & non, quod vnum velint? Qui enim consensu iunguntur, non sunt vnum, sed volunt vnum. Velim, vt ad hæc respondeant, qui solam consensus vnitatem in h. l. defendunt. Super sunt alia. Si tres in cœlo testes, Pater, verbum & S. spiritus, tantum consensu sunt vnum, essentiis debent differre. Si differunt essentiis, & cuilibet tamen illorum diuinam essentiam tribuis, necessario tres Dii erunt statuendi, contra rationem sanam & reuelationem (§. 17.). Si differunt essentiis, nec tamen cuilibet illorum diuina essentia tribuenda est, ad Deorum trinitatem euitandam, peccatur contra id, quod de omnibus tribus in superioribus iam est demonstratum (§. 30. 34. 47.). Nihil ergo restat, nisi vt vnitatem essentia numerica debeat in h. l. admitti. Attendatur etiam ad hoc. Si inter Patrem, λόγον spiritumque S. est tantum

An Iohannis l. c. vnitatem consensus sit intelligenda?





rum unitas consensus, adeoque illi essentiis differunt: aut essentia cuiuslibet, ab essentia reliquorum numero diuersa, infinita est, aut nullius, aut vnus essentia infinita, reliquorum finita, aut duorum essentia infinita, tertii finita. Non enim vllus casus alius superest. Sed nullum horum potest admitti. Non, quod sint tres essentia infinita, neque quod duae infinita, tertia finita, quia non nisi vnicum numero est ens infinitum (§. 13.). Non, quod omnes tres habeant essentias finitas, & nullus horum trium infinitam. Nam sic nec pater Deus esset, nec filius, nec spiritus S. contra demonstrata (§. 30. 34. 47.). Non, quod vnus illorum e. g. pater habeat tantum essentiam infinitam, reliqui finitam. Nam sic filius & spiritus S. non essent verus Deus, iterum contra demonstrata (§. 34. 47.). Non igitur non potest concedi, quod omnes tres eandem numero essentiam diuinam habeant, vel sint vnum essentia. Vide etiam meditationes I. Th. C. in vsu Philos. WOLFF. & LEIBN. T. 2. P. 2. c. 3. §. 11. seqq. p. 52. sqq.

An P. F. & Sp. S. habeant eandem specie essentiam?

Schol. 4. Dum Patrem, filium spiritumque S. eandem numero essentiam diuinam habere demonstrauimus, quaeritur: an eandem etiam specie habeant essentiam diuinam? Quod si ita intelligas: an specie sola eandem essentiam habeant, vti e. g. Abrahamus & Isaacus eandem specie habent essentiam, non numero? falsam esse sententiam, apertissimum est ex praecedentibus (§. 55.). Si vero ita: an praeter unitatem essentiae numericam etiam eandem specie essentiam habeant? affirmanda sententia est. Nam similia sunt, quae habent easdem notas characteristicas. Quicumque igitur habent essentiam, iisdem notis characteristicis praeditam, illi habent similem essentiam. Sed quicumque eandem numero habent essentiam, illi habent essentiam, iisdem notis characteristicis praeditam, quia idem numero habet easdem notas characteristicas, dum alias non idem esset. Hinc quicumque habent eandem numero essentiam, illi habent essentiam similem. E. pater, filius & spiritus S. similem essentiam habent (§. 55.). Sed quaecunque singularia similem habent essentiam, illa habent eandem specie essentiam. Species enim similitudo singularium est. Cum igitur pater, filius & spiritus S. vt tria singularia (quod infra §. 90. independenter ab hoc demonstratum) habeant similem essentiam, specie etiam eandem essentiam habeant, necesse est. Idem bene perspexit HEBENSTREIT in Syst. Theol. T. 1. p. 569, ostendens, Synodi Nicanae patres filium Dei patri suo secundum & propter eandem & specie & numero essentiam diuinam *ὁμοσίον* vocasse. Videamus nunc autem, vtrum pater, filius & spiritus S. realiter, an solis nominibus differant.

§. LVI.



§. LVI. *Pater essentiam suam*, numero eandem (§. 55.), largitus est *Filio*, siue *cum illo communicauit* Ioh. V, 26. Quam communicationem S. scriptura improprie vocat exitum Mich. V, I. Ioh. XVI, 27. 28., proprie *generationem* Pf. II, 7. Quod enim proprie generatio fit, inde colligitur, quod non solum Pater nomen Patris & Filius Filii inde traxerit 2. Cor. I, 3, XI, 31. Eph. III, 14. I. Petr. I, 3. sed filius etiam *μονογενής παρὰ πατρός* Ioh. I, 14 III, 16. & *ἰδιος υἱός* Rom. II, 32. & *ἀληθῶς υἱός θεῶν* Matth. XIV, 33. XXVII, 54. dicatur.

Quomodo Filius essentiam diu. habeat?

Scholion I. Quod pater essentiam suam numero eandem largitus sit filio, euidentissime apparet ex ipsius Christi testimonio Ioh. V, 26. Nam v. 25. dixerat: *Amen, amen dico vobis, quod veniat hora & iam nunc sit, qua (spiritualiter) mortui audient vocem filii Dei; & qui audiunt (cum obsequio), uiuent (spiritualiter & si vitam spiritualem non perdant iterum, in æternum).* Enim vero de morte & vita spirituali hanc locutionem Christi intelligendam esse, patet inde, tum quod Christus dicat: *horam uenire & iam tunc esse*, cum tamen tunc nondum esset hora corporaliter mortuorum resuscitandorum, sed esset potius tempus & instaret, quo per Euangelium ubique prædicandum homines erant conuertendi & ad vitam spiritualem perducendi; tum quod Christus v. 28. 29. multo clarius de futura mortuorum resurrectione agat. Iam v. 26. addito γὰρ, seruatur rationem eius, qui fieri possit, vt per verbum filii Dei ad vitam spiritualem spiritualiter mortui deducendi sint, reddit hanc: *quod uti pater vitam habet in semet ipso, ita filio dedit vitam habere in semet ipso.* Ex quibus verbis colligimus, Patrem essentiam diuinam filio dedisse. Nam vita spiritus consistit in vi cogitandi appetendique; quod constat exemplo animæ, quæ etiam est spiritus, quæque mortalis foret dicenda, si perderet in morte corporis cogitandi appetendique vim. Vita igitur Dei consistet in vi infinita cogitandi appetendique, quia Deus a reliquis spiritibus vt ens infinitum a finitis differt (§. 17.). Quod si igitur pater, uti vitam habet in se ipso, ita filio dedit vitam habere in se ipso (per effectum Christi): sequitur, patrem, vt vim cogitandi appetendique infinitam habet in se ipso, ita filio dedisse, vim illam infinitam cogitandi appetendique habere in se ipso. Sed vis illa infinita cogitandi appetendique constituit essentiam diuinam. Nam essentia diuina consistit in eo, quod sit spiritus a se (§. 22.). Dum autem vim infinitam & quod sequitur inde,

Pater essentiam suam largitus est Filio.



de, ens infinitum nomino, nomino ens a se, quia ens infinitum est ens a se (§. 12.) & dum ens cogitans appetensque nomino, nomino spiritum, qui spiritus est ens intellectu & voluntate prædium. Quod si igitur, per demonstrata, pater filio dedit vim infinitam cogitandi appetendique, ei etiam largitus est essentiam diuinam, nempe eandem numero, quam habet ipse (§. 55.) seu effecit, vt filius eandem secum essentiam haberet.

Nec tamen ipse perdidit.

Scholion 2. Caue credas: si pater essentiam diuinam largitus est filio, ipse non amplius habet. Si ipse eam non haberet, non esset Deus contra essatum Christi Ioh. XVII, 3. Habet igitur ipse adhuc essentiam diuinam & tamen filio largitus est. Nec repugnans est, vt quis alteri aliquid det, & ipse tamen retineat. Quis dubitat, Caium rerum susrum dominium ita dare posse Titio, vt ipse tamen maneat condominus? Quod si in humanis potest fieri, quanto magis in diuinis id est concedendum? Fallitur igitur Socinianorum argumentum: Si pater essentiam suam largitur filio, aut totam dat aut partem eius. Sed non totam, quia alias ipse pater eam non retineret, & hinc nec Deus esset; nec partem eius, quia alias nec pater nec filius esset Deus integer. Pater essentiam diuinam plane non largitur filio. Fallitur, inquam, hoc argumentum. Nam totam quidem essentiam diuinam dat filio; sed nequaquam per modo dicta sequitur inde, ipsum patrem eam non retinere.

An paternitas filio sit data?

Scholion 3. Totam igitur essentiam diuinam pater dat filio, sed non id, quod habet vt pater i. e. paternitatem. Contradictoria enim seu repugnantia esse nequeunt. Iam vero si pater filio dedisset etiam paternitatem, filius non amplius filius sed pater esset, adeoque repugnantia oritur, dum filius esset filius & non esset. Non igitur dici potest, quod pater paternitatem etiam filio dederit.

Pater essentiam diuinam cum filio communicauit.

Scholion 4. Si idem duobus vel pluribus competit, dicitur illis esse commune, vt e. g. ratio hominibus communis dicitur esse, quia omnibus competit; bona communia dicuntur, quorum dominium pluribus competit. Actus autem, quo idem pluribus commune redditur, dicitur communicatio. Cum igitur pater, eandem numero essentiam, quam habet ipse, filio largiendo, eandem sibi filioque reddiderit communem, ita vt filius eandem æque habeat, ac habet pater, recte dicitur, patrem essentiam suam diuinam cum filio communicasse.

Eumque generauit.

Scholion 5. Actus, quo viuens alteri dat vitam secundum similitudinem essentiae cum relatione paternitatis & filiationis dicitur in entibus intelligentibus generatio. Quid enim est aliud, si pater filium generat, nisi hoc? Nec obstat, si monstrum generetur. Nam id ibi non tam a generatio.



rationis actu, quam aliis circumstantiis pendet. Sed pater in diuinitate 1) vita diuina est præditus, dum, tanquam verus Deus (§. 30.), vi infinita cogitandi appetendique pollet (§. 17. 18.); 2) eandem vitam diuinam largitus est filio Ioh. V, 26. idque 3) secundum similitudinem essentia (§. 55. Sch. 4.), cum relatione paternitatis & filiationis; hoc enim si non esset, a communicatione hac essentia diuinæ nec pater patris, nec filius filii nomen trahere posset, quod tamen est. Hinc sequitur necessario, patrem in diuinitate filium generasse. Et dum generatio illa fit per largitionem diuinæ vitæ, per illam autem ipsa essentia diuina cum filio a patre communicatur (§. 56. Sch. 1.), recte etiam dicitur, generationem, qua Deus pater filium generat, in communicatione essentia diuinæ consistere.

Scholion 6. Vti Deum patrem filium generasse, euidentissime ex demonstratione præcedente patet, sic etiam idem S. scriptura diferte testatur Pf. II, 7. siue verba vertas, vti vulgo vertuntur: *filius meus es tu, hodie* i. e. ab æterno *genuite*, siue rectius cum Cel. HOFFMANNO in Diss. in Pf. II, 7. coll. Act. XIII, 33. &c: *hodie* (in diebus carnis Messia) *me te* (sc. ab æterno) *genuisse demonstrauit* (per testimonia a cælo data, innumera miracula & ipsam tui ex morte resurrectionem). Nam dum proprius sensus vocis אֱלֹהִים in h. l. locum habere potest, etiam obtinere debet, per regulam interpretandi, quod a proprietate sine necessitate recedendum non sit (confer. §. 59. Sch. 2.). Hunc locum de Christo, non de Dauide agere, patet ex prædicatis reliquis v. 8. 9. 11. 12, Christo quidem, non Dauidi competentibus. Cui accedit, quod Paullus, præcellentiam Christi præ omnibus demonstraturus, non angelo, sed filio ita dixisse Deum, dicat Hebr. I, 5-7. quæ præcellentia esset nulla, si ad hominem, Dauidem, Deus esset ita locutus. Et quamuis hic Psalmi locus modo de resurrectione Christi Act. XIII, 33, modo de generatione eius Hebr. I, 5. modo de summo sacerdotio eius Hebr. V, 5. citari videatur, vnicus tamen illius sensus est, vt de generatione Filii Dei agat. Nam Hebr. V, 5. dicitur tantum, illum, qui dixerit Christo: *Filius meus es tu* &c. i. e. *Patrem*, constituisse Christum summum sacerdotem. Act. XIII, 33. autem non agit de resurrectione Christi ex morte, vtpote de qua agit v. 34, cum v. 33. per particulam aduersantem *de* connexus, sed de exhibitione Messia sc. in regem æternum & potentissimum, vti Psalmo 2do, vbi a Deo generatus dicitur, erat prædictum, quo sensu vox *ἀνίστημι* sæpe solet adhiberi e. g. Act. VII, 37. III, 22. Deut. XIX, 15. 18.

Scholion 7. Quod autem Deus pater filium generauerit per gene- An gene-  
ratio- ratio illa

Consensus  
scripturæ.



fit propria? rationem propriam, non per metaphoricam, ex ipsa generationis definitione, est apertissimum. Proprie adhibetur terminus, si omne id, quod per eum denotatur, in re deprehenditur, de qua dicitur. Cum autem omne, quod ad generationem pertinet, inueniatur in generatione Dei patris (§. 56. Sch. 5.), Deum patrem filium proprie generare, recte asserimus.

Roellius notatus.

Scholion 8. Non est h. l. dissimulandum, contrarium sentire Herm. Alex. Roellium, Theologum Franequeranum, qui in Diss. de generatione Filii negavit, filium Dei proprie a patre esse generatum per essentialis diuinæ communicationem, illiusque tantum, ut & spiritus S. cum patre coexistentiam concessit, loca autem scripturæ S. de generatione agentia, de manifestatione filii Dei, ut Dei, in diebus carnis ipsius facta, explicauit. Sed obstat huic sententiæ & demonstratio præcedens, quæ proprie filium a patre generatum esse docet, & ipsa literæ proprietates in scriptura S. quæ sine necessitate relinquenda non est. Quoties enim Deus pater patris & filius filii nomine denotatur, toties asseritur propria generatio filii, quia ex generatione propria filiationis & paternitatis respectus oritur. Vid. B. ZACH. GRAPIVS in Theol. rec. controu. qu. 18. p. 146. seqq. Dubia autem eius potiora, data occasione, in seqq. discutiemus.

Generatio Filii Dei est necessaria.

§. LVII. Cum Deus sit absolute necessarius (§. 17.), Filius Dei etiam absolute necessarius debet esse (§. 34. 42.). Dum autem nihilominus essentialiam diuinam a patre per generationem habet (§. 56.), ipsa generatio illa absolute necessaria debet esse: siquidem ex actione contingente fieri nequit, ut oriatur, quod sit absolute necessarium.

Declaratio.

Scholion. Finge enim, actionem contingentem esse, tunc poterit esse & non esse, per def. contingentis. Si autem ipsa actio potest esse & non esse, id etiam, quod ex illa oritur, poterit esse & non esse, adeoque erit contingens. Quod si igitur id, quod ex actione oritur, debet esse absolute necessarium, ipsa quoque actio talis esse debet.

Ex patris natura fluens.

§. LVIII. Hinc cum generatio Patris, qua filium generat, sit absolute necessaria (§. 57.), & pater tamen ab omnibus sit independens (§. 17. 30.), ut adeo aliunde absoluta illa necessitas pendere nequeat, ex ipsa patris natura fluat, necesse est. Attamen cum a nolente patre non possit fieri, quia, si nolens aut coactus generet Filium, non esset independens, & hinc nec Deus (§. 17.): gene-



generatio, actiue sumpta, est actus patris, quo vult ex sua ipsius natura, vt existat etiam Filius eiusdem essentiae diuinae.

Scholion. 1. Scilicet dum pater generat filium, eum generat aut volens aut nolens, aut indifferenter se habens. Quartum nullo modo potest fingi. Si nolens, noluntate non pro non-velle simplici, sed pro auersatione sumpta, & hinc coactus filium generaret, caderet ipsius independentia, quia qua hunc actum rationem sui in alio, sc. ente cogente, haberet (§. 9.). Si indifferenter se habens, patri perinde erit, vtrum filium generet vel non generet; ipse autem filius poterit generari & non generari, & hinc esse aequae ac non esse; id quod absoluta filii necessitati repugnat (§. 57.). E. non potest non concedi, quod pater generet filium volens. Et quisquis hoc concedere, dubitat, is aut ex prioribus membris duobus vnum assumere, aut quartum membrum fingere debet, quod vtrumque non potest fieri.

Scholion 2. Hæc autem voluntas patris est 1.) absolute necessaria. Nam si minus, esse deberet contingens vel libera. Si autem contingens vel libera esset, ipse filius, qui per generationem hanc essentiam diuinam accipit, esset contingens, adeoque posset esse & non esse, & hinc non esset verus Deus; quia Deus non potest esse & non esse, sed est absolute necessario (§. 17.). 2) ex ipsius patris natura fluens. Nam Deus pater patris titulo gaudere non posset, nisi vellet, vt filius eiusdem essentiae diuinæ esset particeps & illum generaret. Bene hanc in rem loquitur BECANVS in Theol. Scholast. P. 1. c. 7. p. m. 300. *Idem actus (generatio & spiratio) dicuntur etiam voluntarii voluntate diuina, non vt libera, sed vt naturalis est. Vnde pater non libere genuit filium, vt volebant Ariani, sed naturaliter & necessario, neque tamen inuitus sed voluntarius.* Et IOH. BARTH. RVDIGER in diss. de libertate entis liberrimi Giesl. 1698. p. 30. *Eccui, inquit, ignotum est Arrianorum vetus illud ἔγκλημα: Aut pater genuit filium volens, aut nolens. Si illud, E. libere, vt potuisset non generare, sin hoc, E. fuit miser. Resp. Volens & libere; sed non illico libertate indifferentiae, verum interna, coactioni, non immutabilitati, aut necessitati naturali opposita, vt loquitur SCHERZ. coll. Anti-S. p. 192.* 3) Soli patri competens. Nam voluntas, ad generationem actiuam patris concurrentem, vel in eam influens, non potest etiam filio competere, quia alias filius se ipsum etiam generare dicendus esset, quod repugnat notioni generationis (§. 56. Sch. 5.), nec spiritui sancto, quia alius spiritus S. etiam filium generare dicendus esset, quod repugnat infra dicendis, dum spiritus S. potius essentiam diuinam

CARPOV. de Trinitate.

G

a fi.



a filio acceptam fert, & hinc non potest eam filio vicissim largiri. Hoc sensu, quatenus hæc voluntas, qua pater vult filium esse Deum, soli patri competit, voco hanc voluntatem *personalem*.

Differen-  
tia inter  
volunta-  
tem Dei  
essentia-  
lem & per-  
sonalem.

Scholion 3. Ex his patet, distinguendum esse inter voluntatem Dei essentialem & personalem. *Essentialem* voco, quæ omnibus diuinitatis personis i. e. patri, filio spirituique S. ex æquo communis est; quæ vel necessaria est, qua e. g. Deus vult se ipsum & perfectiones suas, vel libera, qua e. g. voluit existentiam mundi. Quæ autem ex personæ vnus vel duarum natura fluit & ad essentiæ diuinæ communicationem tendit, illam, ad imitationem denominationis, qua generatio & spiratio actus personales dicuntur, *personalem* vocare placuit. Sic voluntas, qua pater vult esse etiam filium, dum ex solius patris natura fluit (§. 58. Sch. 2.), est voluntas personalis. Omnem autem voluntatem personalem absolute necessariam esse, inferius demonstrabo.

Dubium  
Durandi  
soluitur.

Schol. 4. Non autem valet contra sententiam hanc obiectio DURANDI I. sent. d. 6. qu. 2. quæ hæc est: *Fieri non posse, ut volendo Filius a patre producat, quia, ut intelligere, sic velle competit omnibus Diuinitatis personis, & hinc ipse etiam filio; vnde sequatur, filium volendo alium filium producere, vel, quod addi posset, filium volendo se ipsum producere, quod vtrumque nequit admitti. Nempe hoc dubium euincit, fieri non posse, ut per voluntatem essentialem, quam diximus, essentiæ diuinæ cum filio comunicetur; quod nec a nobis asseritur, dum per voluntatem personalem potius, quæ soli patri æque ac ipsa generatio competit, eamque absolute necessariam, id fieri arbitramur (§. 58. Sch. 2.). Et sic non opus est, ut ad essentiæ diuinæ fecunditatem confugiamus cum DURANDO, quia dum eadem natura diuina fecunda spiritui S. competit, is etiam nouam personam produceret, nec maneret numerus personarum trinus.*

An pater  
generet fi-  
lium in-  
telligen-  
do?

Schol. 5. Theologi scholastici vno fere docent ore, patrem intelligendo generare filium, siquidem cognoscendo se ipsum, sui formet sibi ideam vel imaginem, quæ sit ipse filius. Horum vestigia secutus BECANVS in Theol. Scholast. P. I. c. I. qu. 2. p. m. 210 inquit: *Si filius non procederet per intellectum & spiritus S. per voluntatem, non posset dari ratio, cur filius vocetur verbum, & spiritus S. amor, cur filius dicatur genitus, & spiritus S. non genitus, sed procedens, cur filius dicatur imago patris, non item spiritus S., cur filius procedat a solo patre, spiritus S. a patre & filio, denique cur a patre procedant due persone & non plures aut pauciores. Sed minus valide hæc rationes hanc assertionem probant. Nam*

1) cur



1) cur filius vocetur verbum, alia assignari potest ratio, scil. quia Deus pater per eum voluntatem suam & legalem in V. T. & Evangelicam in N. nobis manifestavit (§. 29. Sch. 3.). 2) Cur filius dicatur genitus, & spiritus S. non genitus, sed procedens, etiam aliam sui rationem habet. Filius dicitur genitus, quia est filius patris, siquidem proprium filii est, vt generetur. Spiritus S. autem, quia ad patrem non habet respectum filii, nec potest dici genitus, sed dicitur tantum procedens. Nec vlla in argumento est consequentia, si concludit: Filius Dei dicitur genitus, & spiritus S. non genitus, sed procedens. E. filius Dei intelligendo a patre producit. 3) Porro filius Dei dicitur imago patris, quia a patre est genitus, vt proprius ipsius filius, filius autem essentia patri similis est, vt imago archetypo. v. infra §. 60. Et nulla iterum est consequentia, si concludatur: Filius dicitur patris imago. E. intelligendo a patre generatur. 4) Cur filius procedat a solo patre, spiritus S. a patre & filio simul, & cur a patre duæ personæ procedant, nec plures nec pauciores, ratio in absoluta necessitate quærenda est, dum Deus non aliter est possibilis, quam vt ita se habeat; pariter ac ratio, cur Deus sit omnipotens, omniscius, reliqua, in absoluta necessitate est quærenda. Nec iterum valet consequentia: Filius a solo patre procedit E. per intellectum. Equidem Becanus distinxit inter *intelligere* & *intelligendo producere*, & illud omnibus tribus personis commune esse, hoc soli patri competere asserit. Sed hoc iam discussit BECHMANN in Institut Theol. Part. I. loc. I. p. m. 174. Nec potest hæc distinctio vllius momenti esse, re ipsa cadente. Non igitur assentiri possumus iis, qui patrem se ipsum intelligendo filium producere vel generare dicunt. Nempe intellectus diuinus est representatio simultanea & distinctissima omnium possibilium. Quid igitur aliud per illum solum produceretur, quam idea vel representatio? Filium autem Dei non esse, nisi ideam Dei, & demonstratis & demonstrandis aduersatur.

Schol. 6. Quamuis autem non recte dicatur, patrem per intellectum generare filium (§. 58. Schol. 5.), nec tamen per nudam potentiam generandi patrem filium generasse, dici potest. Nam licet illa utriusque in actuali generatione supponatur, ex illa tamen sola generatio non sequitur, siquidem a posse ad esse C. N. V. notum est.

§. LIX. Absolute necessarij oppositum nullo modo potest esse (§. 7.), & hinc id, quod absolute necessarium est, nec principium nec finem durationis habet. Sed tale dicitur æternum &

Vel per  
nudam  
potentiam  
generandi?

Generatio  
filii Dei est  
æterna.





hinc absolute necessarium, sc. pro notione nostra tale, aeternum est, E. generatio Filii Dei est aeterna (§. 57.), nec principium, nec finem durationis habens.

Consensus  
scripturae.

Scholion 1. Hinc 1.) Mich. V, 1. Messia, Bethlehemem nascendi exitus מוצאת עולם i. e. ab aeterno dicitur esse; ubi מוצאת, tanquam nomen pluralis numeri tantum, non exitus, sed exitum sc. aeternum, aut, si pluralem denotat, praecellentiam huius exitus significat. Quod autem exitus saepe generationem significet, patet ex Gen. XV, 4. XLVI, 26. Ies. XL, 1. Frustra excipitur, sermonem h. l. non de Christo, sed de Zorobabele, ex vetustissimo genere regio oriundo, esse. Nam totus ordo Iudaeorum sacerdotalis, S. scriptura non improbante, hunc locum de Christo intellexit Matth. II, 4. Ioh. VII, 42. Nec Zorobabel Bethlehemem, sed in captiuitate Babylonica est natus Matth. I, 11. 12. ex qua populum eduxit Esr. II, 2. Denique nec מוצאת i. e. exitus veterem familiam in S. scriptura solet denotare, sed הולדות i. e. generationes. Et quamuis Roellius hunc locum labefactare audeat, asserens, illum non de communicatione essentiae, sed de manifestationibus pluribus, in V. T. factis, agere, quia in plurali numero egressiones eius dicantur, tamen nihil agit. Nam quod egressiones denotare queant manifestationes, per usum loquendi S. scripturae erit probandum. Et si vel maxime id probetur, de manifestationibus illis tamen dici non posset, quod sint ab aeterno, cum tamen de egressione filii Dei aeternitatem propheta praedicet. Non autem illo sensu illa locutio in S. scriptura occurrit. 2.) Christus Col. I, 15. πρωτότοκος πάσης κτίσεως dicitur, non hoc sensu, quod creaturarum omnium sit primogenita, siquidem ipse non est creatura, sed creator (§. 41.) & ipse Deus (§. 34.); sed hoc, quod genitus sit a patre, antequam vlla esset creatura. Sed si S. scriptura mentionem facit temporis antemundani (licet id proprie tempus non sit), intelligit ipsam aeternitatem, siquidem ante mundum & creaturas conditas ipsa fuit aeternitas. Vnde aeterna generatio h. l. filio Dei tribuitur.

An Pf. II,  
7. aeterni-  
tatem ge-  
nerationis  
diuinae  
probet?

Schol. 2. Equidem aeternitatem generationis filii Dei multi etiam probant ex voce היום, dum Pf. II, 7. D. us pater filio dixisse narratur בני אתה היום ילדתיך filius meus es Tu, hodie genui te; quod hodie per ipsam aeternitatem expriment. Sed huic interpretationi obstare vocis היום proprietatem, qua temporis periodum vel durationem, quae partibus transeuntibus & sibi inuicem succedentibus absoluitur, qualis est dies vel longius temporis spatium, denotat, eruditissime obseruauit Cel.

HOFF-



HOFFMANN in Diss. in h. l. c. 4. §. 3. 4. Vnde cum verba, actum denotantia, sæpe sumantur de actus illius manifestatione vel declaratione, quod pluribus ostendit l. c. §. 8. nihil obstare arbitratur, quin verba citata ita verti queant: *filius meus es Tu, hoc tempore scil. N. T. me te genuisse manifestabo.* Et quod ita verti debeat, probatum it a) ex ipsa verborum proprietate, quæ ita & in voce  $\text{אני ה'}$  & in voce  $\text{אני ה'}$  salva maneat, cum a verborum proprietate sine necessitate recedendum non sit; b) ex sensu & scopo totius Psalmi; c) ex complemento N. T. vbi, ne dicam de eo, quod motus & tumultus gentium, de quibus David loquitur, commodissime applicari queant ad ea, quæ gentiles & Iudæi moliebantur ad regnum Christi impediendum & destruendum Act. IV, 28. sqq. id potissimum notandum est, quod verba: *Filius meus es Tu, hodie genui Te*, vt verba promissionis excitentur a Paulo Act. XIII, 33. id quod fieri non posset, nisi de manifestatione generationis filii æternæ potius, quam ipsa generatione intelligantur.

Schol. 3. Quia autem generatio filii Dei est æterna, patet error DEVSINGII, qui in reuelat. Myster. S. S. Triados Diss. 3. p. 87. docet, generationem filii Dei bis fuisse factam, primo typice, cum crearetur mundus, altera vice in resurrectione a mortuis, vid. GRAPIVS in Theol. rec. controu. p. 155. An generatio filii bis facta?

Schol. 4. Quamuis hæc generatio semper duret, vti perdurare debet vi æternitatis suæ (§. 59.), non tamen inde, *eam nondum consummatam esse*, sequitur. Alia enim est ratio actus huius necessarii, alia contingentium. Deus sibi repræsentat omnia semper, & tamen repræsentatio est consummata. Hinc si quæras: *utrum rectius dicatur: filium semper gigni, an semper genitum esse?* utrumque quidem est veritati consentaneum; attamen AVGVSTINVS Lib. 83. quæstionum quæst. 37. responderet: rectius dici, semper genitum esse, quam semper gigni; siquidem licet semper duret actus gignendi, semper tamen etiam sit perfectus & consummatus. An sit consummata?

Scholion 5. Ex præcedentibus generationis affectionibus varia contra illam dubia possunt resolui. Nempe 1.) iam olim Arianus quidam apud Augustinum L. 15. de Trinit. c. 20. & libro contra sermonem Arianorum c. 1. ita contra generationem filii est argumentatus: *aut pater genuit filium volens aut nolens. Sed non nolens, quia si nolens aut coactus filium generavit, miser vel non independens & hinc nec Deus est. Nec volens, quia si hoc, dum voluntas est arbitraria, potuit etiam non generare & hinc ipse filius potuit Deus esse & non esse, adeoque est contingens, non absolute necessarius, nec Deus (§. 17.), E. pater plane non generavit filium Deum.* Quod argumentum, teste Resolutio dubiorum primi.



Augustino, retorquebant Catholici h. m. *Aut pater est Deus volens aut nolens. Si volens, non natura sed libere est Deus, adeoque potest etiam non esse Deus, quia quidquid a voluntate libera dependet, esse & non esse potest; si nolens, miser est.* Nobis, quid ad hoc dubium respondeamus, non deficit. Concedimus enim, Deum patrem volentem generasse Deum filium; sed negamus, illam voluntatem liberam & contingentem esse, dum est potius absolute necessaria vel naturalis (§. 58. Sch. 2.). Obiicitur 2.) *Sicut se habet corruptum esse ad non esse, ita se habet genitum esse ad esse. Sed quod corruptum est, desit esse. E. quod genitum est, inceptit esse. Sed filius a patre genitus est. E. filius inceptit esse. E. filius non est aternus.* (§. 59.) *E. filius non est verus Deus (§. 18.).* At vero notio generalis generationis non inuoluit initium existendi (§. 56. Sch. 5.). Vnde negatur propositio maior: quod genitum est, inceptit esse. Et quamuis in generatione, quæ in entibus finitis & contingentibus, mutationum capacibus, deprehenditur, detur initium existendi in ente producto, inde non sequitur, id in omni generatione & in ea quoque, quæ in ipso ente infinito, quod omnes mutationes intrinsecas respuit, reperitur, esse debere. Quin potius, quia hæc generatio aterna est (§. 59.), non potest vllum in ea, nec in genito initium deprehendi. Nec obstat, quod corruptio, quæ oppositum generationis esse dicitur, inuoluat finem existendi, vnde generatio, principium existendi habere dicitur. Corruptio enim oppositum generationis est in entibus finitis contingentibusque, mutationum capacibus, sed generationi filii Dei nequit opponi, quia illa est absolute necessaria (§. 57.). Obi. 3.) *Quando filius genitus est, vel erat vel non erat. Si erat, cur est genitus? si non erat, aliquando non fuit, & hinc nec aternus (§. 59.), nec Deus est (§. 18.). E. plane non est genitus.* Respondeo. Latet ambiguitas in voce: quando. Nam si ita intelligatur: antequam filius est genitus, vel erat vel non erat &c. vel ut magis Logice exprimam: Si filius Dei est genitus, ante generationem vel fuit vel non fuit; sed falsum posterius vtrumque E. etiam prius; absurdum ex hoc capite est argumentum, quod initium generationis in eo assumitur, quod negamus (§. 59.), adeoque alia illius idea fingitur, quam nos defendimus; vnde ad responsionem non obligamur. Et ut dicam quod res est, antecedens syllogismi est magis limitandum. Vnde si ita formetur: si filius Dei est genitus ab aeterno, ante generationem vel fuit vel non fuit; Sed falsum est posterius vtrumque E. etiam prius; contradictorium est argumentum, quia ante generationem aeternam aliquid fingere, est contradictorium (§. 59.). Si ita: si filius Dei est genitus non

ab

secundi

tercii



ab æterno, ante generationem vel fuit vel non fuit. Sed falsum est posterius vtrumque per modo dicta. E. etiam prius; conceditur totum argumentum; quia nihil aliud inde sequitur, nisi filium Dei non esse generatum non ab æterno vel in tempore; quod concedimus. Vnde patet, nec male **BASILIVM** ad hoc argumentum respondisse: non erat, antequam gigneretur, sed erat, cum gigneretur, semper autem genitus est, semper igitur fuit. *Obiic. 4.) filius præfuit in patre vel actu vel potentia quartè vel nullo modo. Si præfuit actu, fuit, antequam gigneretur; si potentia, in Deo datur potentia passiva, quod est falsum; si nullo modo E. ex nihilo est factus.* Respondeo: In forma argumentum ita erit formandum: Si filius Dei præfuit in patre, præfuit vel actu vel potentia vel nullo modo. Sed falsum est hoc omne. E. filius Dei plane non præfuit scilicet ante generationem. Sed ita conceditur conclusio. Dum enim generatio est æterna, adeoque omnis initii expers, qui potuisset filius esse ante sui generationem? Æterno aliquid prius constituere, est repugnantia asserere. Non igitur fuit filius Dei ante sui generationem; attamen dum generatio semper fuit, semper etiam fuit Dei filius. *Obi. 5.) Generatio est summa perfectio in viuente. Hanc autem dum pater habet, & non filius, filius non est æque perfectus ac pater & hinc nec Deus.* Respondeo: In maiore, quæ in hoc argumento continetur: quicumque non est tam perfectus quam pater, ille non est Deus; latet ambiguitas. Nam si ita intelligatur: quicumque non est tam perfectus quam pater, in essentialibus, ille non est Deus, conceditur; sed negatur minor: quod filius in essentialibus non tam perfectus quam pater sit. Nam dum pater eandem numero essentialiam, quam habet ipse, cum filio communicauit (§. 56.), non potest non sequi, filium in essentialibus æque perfectum esse, ac patrem. Vbi enim eadem essentia, ibi etiam eadem perfectiones essentialia debent esse. Quod si vero intelligatur ita: quicumque non est tam perfectus, quam pater, in relatione ad aliam personam diuinitatis, mediantè generatione producendam (liceat hoc vti termino), ille non est Deus. Filius &c. E. negatur maior. Nam diuinitas de ente prædicanda est, non quatenus relationem habet ad aliam personam producendam, sed quatenus essentia diuina illi competit; id quod exemplo spiritus S., qui licet aliam non producat personam, tamen verus Deus est (§. 47.). patet euidentissime. *Obi. 6.) Filius vel coacte vel libere genitus est a patre. Si coacte, non est Deus, quia Deus cogi nequit; si libere, potuit non generari. E. potuit non esse. E. non est Deus. E. filius plane non est generatus.* Resp. Datur tertium. Nam nec coacte, nec libere genitus est filius a patre, sed absolute necessario (§. 57.).



septimi

(§. 57.). Vide responſionem ad obiectionem primam. Obiicitur 7.) *Nemo ex ſe ipſo generatur. At ſi filius ex eſſentia patris eſt genitus, & patris & filii eadem numero eſt eſſentia, ex ſe ipſo filius genitus eſt, & ſic filius eſt ſui ipſius filius & pater.* Reſp. Filius Dei quidem ex Dei patris eſſentia eſt genitus, ſed non quatenus illa eſſentia patri & filio communis, ſed quatenus patris hypotaſi terminata eſt. Nec obſtat, quod quidquid poteſt pater, idem poſſit etiam filius; vnde ſi pater poſſit generare filium, filius etiam ſe ipſum generare poſſit. Prius enim de actibus valet eſſentialibus, nec ad personales trahendum eſt; licet nulla filii impotentia, ſed tantum diuerſa proprietas personalis inde reſultet. Ita patet, difficillima dubia, quæ male inſtructa ratio huic generationi opponere poſſet, poſſe ſolui, dummodo & ipſius generationis conditionem veram & ipſorum dubiorum neruum diſtincte nobis ante oculos ponamus.

Differen-  
tia inter  
generatio-  
nem diui-  
nam &  
humanam.

Scholion 6. Denique ex ſuperioribus etiam differentiam, quæ inter generationem hanc diuinam & humanam deprehenditur, facile poterimus eruere. 1.) Generatio humana, pro ordinatione diuina, fit per concursum vtriusque ſexus, mediante ſeminis in vterum immiſſione. Diuina non ita. Dum enim Deus eſt ſpiritus (§. 21.), non ens corporeum, fieri non poteſt, vt generet filium more, hominibus vel animalibus conueniente; ſed generale generationis tantum, quod in eſſentiæ communicatione conſiſtit, in hac generatione diuina attendendum eſt. 2.) Generatio humana fit per mutationem, dum antea non-viuens redditur viuens. Generatio diuina non fit per mutationem, ſiquidem ab æterno fuit Dei filius, licet ab æterno fit genitus. 3.) In generatione humana gignens & genitus eandem habent eſſentiam ſpecie, non numero. At in generatione diuina pater & filius habent eandem eſſentiam, non ſpecie tantum, ſed etiam numero (§. 55. Schol. 4.). 4.) Generatio humana fit contingenter, diuina absolute neceſſario (§. 57.). 5.) humana fit a volente per voluntatem liberam; diuina a patre volente per absolute neceſſariam voluntatem vel naturalem (§. 58. Sch. 2.). 6.) humana fit in tempore, vt initium & finem durationis habeat, diuina eſt æterna (§. 59.). 7.) Generatio diuina longe perfectior eſt, quam humana. Nam in generatione generans debet producere genitum ſibi eſſentia ſimile (§. 56. Sch. 5.). Quo igitur ſimilius eſt genitum generanti, eo perfectior erit generatio. Sed in generatione diuina pater generat filium non tantum ſibi eſſentia ſimilem, ſed eiudem numero eſſentiæ; cum in generatione humana pater tantum ſibi ſimilem generet. E generatio diuina debet perfectior eſſe quam humana.

§. LX.



§. LX. Filius patri suo essentia similis est. Cum igitur *Christus*, qua Deus, sit *Dei Patris Filius* (§. 56.), ipsi etiam *essentia similis esse debet*; quam propositionem iam aliter supra demonstratam dedimus (§. 55. Sch. 4.).

An filius  
Patri simi-  
lis?

Schol. 1. Hinc dicitur imago Dei inuisibilis Col. I, 15, 2. Cor. IV, 4. ἀπόδυγμα τῆς δόξης & χαρακτῆρ τῆς ὑποστάσεως illius Hebr. I, 3. Unde qui filium videt, videt Patrem Ioh. XIV, 9.

Consensus  
Scripturæ.

Schol. 2. Sed probe notandum, quod *essentia* filium patri similem esse dicimus. Qua paternitatem enim filius patri est dissimilis, siquidem pater, licet omnia essentialia cum filio communicauerit, non communicauit cum eo tamen paternitatem (§. 56. Sch. 3.).

Monitum.

§. LXI. Deus Pater, mediante generatione, rationem filii in se continet, siquidem ex generatione illa cognosci potest, cur sit filius (§. 56. 2.). Sed quidquid continet rationem alterius, id dicitur *principium* alterius. E. *Deus Pater est principium filii*.

An Patrem  
habeat pro  
principio?

Schol. 1. Ipse Christus patrem suum principium vocat Ioh. IIX, 25. si cum SEB. SCHMIDIO in Diatriba de Cherubim & Seraphim p. 184-190. & in Paraphr. in Euang. Ioh. verba: τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, pro ὅ, τι posito ὅτι, vertas: quod vel quin etiam principium meum dico vobis; quod fieri debere, colligitur inde, 1.) quod ita responsio Christi melius quadret ad quæstionem: quis es tu? quam pro vulgari interpretatione hac: primum ille, qui loquor vobiscum. 2.) Quod ita non opus sit membro altero, ad primum se referente, quo opus est pro vulgari interpretatione, & quod tamen abest. 3.) Quod Christus paullo ante v. 18. 19. de patre suo erat locutus, & Iohannes mox sequente v. 27. addit, Iudæos non agnouisse, quod Christus de patre suo ad ipsos loquatur. Nec obstat 1.) quod pro hac interpretaione loco ὅ, τι legatur ὅτι in vna voce. Nam non desunt codices, in quibus ὅτι actu legitur. 2.) quod ὅτι sit postpositum. Illud enim aliquando postponi, docent loca alia, qualia Ioh IIX, 45. Rom. III, 2. reperiuntur. 3.) quod τὸ ὅτι h. l. sumatur pro *quin imo*. Nam quod talem sensum interdum habere queat, patet inde, quod particula ἵνα perfecte respondeat, *que* non raro in hoc significato sumitur. Vid. cel. R vs in Harm. Euang. Tom. 2. p. 441. seqq.

Consensus  
scripturæ.

Scholion 2. *Principiatum* dicitur, quod rationem sui habet in principio. Hinc dum filius Dei rationem sui habet in patre, tanquam in principio (§. 61.), filius est principiatum patris. Et quamuis alii ne-

Filius est  
patris  
principia-  
tum.

CARPOV. de Trinitate.

H

gent,



gent, filium sui habere principium, non tamen nobis aduersantur, sed veritatem potius defendunt, intelligentes principium durationis, quod alias initium dici solet, vel principium, a quo factus sit filius; quo sensu rectissime filium Dei principium habere negatur (§. 36. 55. 56.); cum nos e contrario eatenus tantum filio principium tribuamus, quatenus per generationem patris rationem sui in ipso habet ita, ut filius Dei esse non posset, nisi a patre esset generatus.

Resolutio  
dubii.

Scholion 3. Hinc patet facile, quid respondendum sit ad hoc dubium: *Filius habet principium sui esse, quia est ab alio nempe a patre. E. habet etiam principium durationis sue, quia esse & duratio sunt idem in diuinis. Quod autem habet principium sua durationis, non est æternum. E. filius Dei non est æternus. E. nec Deus.* Nempe ambiguitas latet in voce principium. Nam in propositione: quicumque habet principium sui esse, is habet principium durationis; tò principium durationis vel sumitur pro initio durationis vel pro definitione nostra (§. 61.) pro eo, in quo ratio durationis continetur. Si in priori sensu intelligatur, negatur illa maior. Nam filius Dei licet principium sui esse habeat, non habet tamen initium durationis. Si in posteriori sensu accipias, conceditur, filium Dei, uti principium sui esse habet, ita habere etiam principium æternæ durationis, scil. ipsum patrem. Sed si porro concludatur: Quicumque habet principium durationis (hoc sensu), ille non est æternus; Filius Dei &c. E. Negatur maior.

An filius  
Dei sit a  
se?

§. LXII. Dum *Filius Dei* rationem sui, mediante generatione, habet in patre (§. 61.), *non est a se ipso, qua modum habendi essentiam diuinam* (§. 7.) Ioh. VII, 29; licet habeat essentiam, quæ est a se ipsa (§. 21. 34.) Ioh. V, 26.

Consensus.

Scholion 1. Ne cui hæc distinctio forsan noua videatur, prouoco ad b. PAVLLVM SLEVOGTIVM, in Disputationum Academ. Disp. 10. de dependentia §. 35. p. 213. eandem inculcantem, dum: *Denique licet, inquit, eadem numero essentia in patre sit, quæ in filio est, & spiritu S.; non tamen eodem modo in filio & S. S. est, quo est in patre. Nam pater eam a se ipso habet, non ab alio: sed Filius non habet a se ipso, sed ab alio nempe a patre, quemadmodum etiam spiritus S. idque per veram ac realem communicationem. Et hoc unice innuitur, præterea nihil, cum Filius a patre, spiritus S. a patre & a Filio dependere dicuntur. A quo enim quis essentiam suam accipit, ab eo eatenus, quatenus accipit, dicitur dependere, siue ea sit numero eadem, siue diuersa.*

Scho-



Scholion 2. Nec rectius, quam per hanc distinctionem, responderi posse, arbitror, ad HERM. ALEX. ROELLII argumentum, dum ille impossibile putabat esse, vt filius Dei a patre generatus per essentiae diuinae communicationem, & tamen independens sit; vnde ad independentiam filii Dei, quae illi, si verus Deus esse debet, non potest non competere, dum Deus est independens (§. 17.), tuendam, filii cum patre coexistentiam quidem admittit, negat autem eius a patre factam generationem per essentiae communicationem, & generationem de nuda manifestatione explicat. V. HENR. LVDOLPH. BENTHEMII status ecclesiarum & scholarum foederati Belgii part. II. c. 2. p. 102. Nam filius Dei & independens est, qua ipsam essentiam suam diuinam, & aliquo modo dependens dicendus est, qua modum habendi illam. Nempe dum filius Dei est verus Deus (§. 34.), est spiritus a se (§. 21.) & hinc independens (§. 9.); quae independentia ei, quatenus Deus est, vel qua ipsam essentiam diuinam, quam habet, competit, & hoc respectu aequae independens ac pater est, siquidem eadem numero essentia diuina cum patre gaudet (§. 55.). At vero, qua modum habendi essentiam diuinam, mediante generatione rationem sui habet in patre (§. 61.). Et quia ens, quatenus rationem sui habet in alio, generatim dependens dicitur (§. 9.), qua modum habendi essentiam diuinam filius Dei a patre dependens dicendus est. *Sed proprie filius Dei nequit dici dependens.* Nam ens dependens in sensu proprio dicitur, quod non tantum qua modum habendi essentiam suam, sed etiam qua ipsam essentiam suam rationem sui in alio habet; id quod & docent exempla entium aliorum, proprie dependentia dicuntur; & ostendit philosophorum canon: *quidquid est dependens, habet essentiam numero distinctam ab eo, a quo dependet.* Nam si ens qua ipsam essentiam suam, quam habet, rationem sui habet in alio, necessario sequitur, vt habeat essentiam numero distinctam ab eo, a quo dependet. Iam filius Dei non habet essentiam numero distinctam ab essentia patris (§. 55.), nec ratione ipsius essentiae diuinae rationem sui in patre habet (per superiora); vnde nec proprie dependens potest appellari.

An filius  
Dei sit a  
patre de-  
pendens?

Schol. 3. Ex illis, quae iam sunt demonstrata, potest etiam intelligi, quo sensu filius Dei dicatur *αὐτόθεος*. Nempe *αὐτόθεος* sine dubio denotat illum, qui a se ipso Deus est. Sed filius Dei est Deus a se, si ipsam essentiam illius spectes; sed qua modum habendi essentiam diuinam non est a se, sed a Patre (Sch. 2.). E. qua ipsam essentiam filius Dei est *αὐτόθεος*, sed non qua modum habendi illam.

An sit *αὐ-  
τόθεος?*

Schol. 4. Hoc loco etiam disputari solet, *an non Deus pater causa*

An pater  
filii

H 2





fit causa  
filii?

*filii possit appellari?* Græci patres patrem interdum causam filii appellant, non ideo damnati a latinis, quia vox *αἰτία* latius patet, quam vox *causæ*. Sed non potest pater causa filii recte appellari. Nam causa dicitur ens, quod continet in se rationem existentiam alterius entis, essentia vel numero ab illo diuersi. Vnde sequitur, causam rationem existentiam alterius, non tantum qua modum habendi essentiam, sed etiam qua ipsam essentiam alterius continere. At vero licet pater rationem filii in se contineat (§. 61.), non tamen filius essentia, nec, vt Deus, numero a patre differt, dum eandem numero essentiam diuinam habent (§. 55.); nec pater filii rationem continet, qua ipsam huius essentiam, sed tantum qua modum illam habendi. Vnde patet, non posse patrem causam filii appellari.

An agat a  
se?

§. LXIII. *Qualis est modus subsistendi, talis est etiam operandi* ita, vt, si ens a se ipso sit, a se ipso etiam operetur, si autem ab alio, ab alio etiam operari censendum sit. Hinc interna Filii proprietates, qua a patre, tanquam a principio suo, est (§. 61. 62.), in operando ad extra ita progreditur, vt *nihil a se ipso, omnia a patre agat.*

Consensus  
scripturæ.

Schol. Hæc ipse filius de se profitetur Ioh. V, 19. 30. XIV, 10. Hic determinatus agendi modus per particulam *διὰ* *αὐτοῦ*: *per*, frequentissime designatur e. g. Eph. IV, 6. Rom. XI, 36. Pl. XXXIII, 6. Ioh. I, 3. I. Cor. II, 6. Hebr. I, 2. v. b. FECHT in Noct. Christ. Exerc. IX, §. 69.

Quomodo pater  
habeat es-  
sentiam  
diuinam?

§. LXIV. Deus pater et si sæpissime in S. scriptura legitur, filium generare, mittere (§. 56.) Ioh. VII, 28. 29. 33, & mittere spiritum S. Ioh. XIV, 26. XV, 26. & per eos operari (§. 63.), Pl. XXXIII, 6: nullibi tamen pater a filio & spiritu S. esse, mitti, nec hi per illum operari dicuntur. Per quod sine dubio innuitur, *patrem essentiam diuinam, quæ a se ipsa est (§. 22.), habere etiam, qua modum habendi, a se ipso.*

Quomodo spiritus  
S.

§. LXV. Quia pater, filius & spiritus S. eandem numero habent essentiam diuinam (§. 55.), solus autem pater eam habet a se ipso (§. 64.); Spiritus S. eam aut a patre, aut a filio, aut ab utroque communicatam habeat, necesse est. Sed non a patre solo, quia pater & filius sunt arctissime inter se vniti Ioh. XVII, 10. II, nec a filio solo, propter eandem rationem, & quia nihil a se,

se, omnia a patre agit (§. 63.). E. spiritus S. essentiam diuinam a patre & filio habet communicatam.

Scholion 1. Hinc spiritus S. a patre dicitur procedere Ioh. XV, 26. Consensus & spiritus Patris Matth. X, 20. sine dubio propter eandem a patre processionem, vt & spiritus filii Gal. IV. 6. Rom. IIX, 9. Phil. I, 19. 2. Theff. II, 8. propter eandem rationem, & in genere spiritus Dei I. Cor. II, 10-14. Similiter non a patre solum in nomine filii Ioh. XIV, 26, sed ab ipso etiam filio mitti dicitur Ioh. XV, 26. XVI, 7. Luc. XXIV, 49.

Scholion 2. Egregie, quod spiritus S. essentiam diuinam communicatam accipiat etiam a filio, potest etiam demonstrari ex asserto Christi Ioh. XVI, 13. 14: *Ille (spiritus veritatis) me glorificabit. Nam ex vel de meo accipiet (cognitionem veritatis v. 13.) & annuntiabit vobis.* Vnde argumentor ita: A quocunque spiritus S. accipit veritatis cognitionem, ab illo accipit intellectum infinitum, quem habet (§. 46.). Nam per ipsum intellectum infinitum veritatis cognitionem habet & intellectus diuinus infinitus non est nisi representatio distinctissima & simultanea omnium possibilium, nec facultas intelligendi in Deo ab ipso intellectu differt. Sed a filio accipit veritatis cognitionem per I. C. E. a filio accipit intellectum suum infinitum. A quocunque accipit intellectum suum infinitum, ab illo accipit, vt sit spiritus a se. Nam ex spiritualitate & afeitate coniunctim intellectus infinitus resultat, tanquam attributum proprium; ex spiritualitate intellectus, quia spiritus est ens intellectu & voluntate praeditum, ex afeitate infinitas (§. 12.). Vnde qui intellectum habet infinitum, debet etiam habere id, vnde ille resultat, scil. vt sit spiritus a se. Cum igitur a filio Dei spiritus S. accipiat intellectum infinitum (per Syll. praeced.), ab illo etiam accipit, vt sit spiritus a se. Sed a quocunque accipit, vt sit spiritus a se, ab illo accipit essentiam diuinam (§. 22.). E. a filio accipit essentiam diuinam, (sive, quod perinde est, filius Dei essentiam suam diuinam communieat cum spiritu S. pariter ac pater. Nec est cur excipiat, seruatorum dicere: *de meo accipiet λήψεται*, non vero: accepit. Nam bene iam respondit AVGVSTINVS Tract. 99. in Iohannem; *In eo, quod sempiternum est, cuiuslibet temporis verbum ponatur, siue praeteriti, siue praesentis, siue futuri, non mendaciter ponitur.* Nempe dum spiratio, per quam spiritus S. essentiam diuinam a patre & filio accipit, est aeterna (§. 69.), semper etiam spiritus S. a filio accipit cognitionem veritatis. Hinc Christus poterat dicere: *De meo accepit, accipiet & accipiet.* Sed dicit: accipiet, quia non intelligitur acceptio simplex, sed

Noua demonstratio, quod spir. S. essentiam diuinam accipiat a filio.

Resolutio dubii.



sed ad iterum dandum Apostolis; vti addit Christus: *& vobis annuntiabit.* Sed acceptio ad dandum iterum Apostolis per inspirationem diuinam erat adhuc futura, dum spiritus S. nondum erat effusus.

Idem continuatur.

§. LXVI. Modus, quo pater & filius essentiam diuinam cum spiritu S. communicant, non male, si ad spiritum S. respicias, per *processionem* a Patre & Filio, propter II. cc. si autem ad Patrem Filiumque respicias, per *spirationem* solet exprimi. Nam quemadmodum Filius ita dicitur a modo habendi essentiam diuinam (§. 56.): similiter spiritum S. ita vocari, concluditur, a suo habendi essentiam diuinam modo, adeoque illum in spiratione consistere; idque eo magis, quod spiritus S. spiraculum omnipotens Iob. XXXIII, 4, & spiritus oris Patris Pl. XXXIII, 6. & Filii 2. Thess. II, 8. nuncupatur; & quod spirationem per insufflationem symbolicè representasse videtur Christus Ioh. XX, 20. licet si spiritus a spiritualitate deriuetur, Pater etiam & Filius spiritus S. nomine possint compelli.

An spiritus S. procedat a patre per filium?

Scholion. Disputatur h. l. *an dicatur recte, quod spiritus S. procedat a patre per filium?* Pro vario sensu varia ratione hic debet responderi. 1.) Si spectetur vis spiratiua, quæ est in patre & filio, spiritus S. non est a patre per filium, sed immediate a patre & filio. Nam pater & filius, vbi sibi non opponuntur relatiue, sunt vnum Ioh. XVII, 10. II. dum eandem numero essentiam habent (§. 55.). Sed in spiratione spiritus S. non sibi inuicem opponuntur relatiue, tanquam pater & filius, E. in illa sunt vnum. Si in illa sunt vnum, vis quoque spiratiua in patre & filio est vna & eadem numero. Hinc a patre æque ac filio spiritus S. immediate debet procedere. E. hoc sensu dici nequit, quod spiritus S. a patre per filium vel mediante filio procedat. 2.) Quod si vero ille respectus attendatur, quod pater ordine prior, quam filius in diuinitate concipiendus sit, siquidem principium ordine prius est principiatio (§. 61.), eatenus potest dici, quod spiritus S. a patre per filium procedat. Nam pro nostro concipiendi modo, filius Dei debuit essentiam diuinam prius accipere a patre, quam illam cum spiritu S. communicare posset. Verbo, spiritus S. est a patre per filium & non per filium. Per filium, quatenus filius essentiam diuinam, a patre acceptam, largitur iterum spiritui S. Non per filium, quatenus ipse pater etiam immediate spiritum S. spirat. 3.) Si quis autem diceret, spiritum S. principaliter a patre, minus principaliter a filio



lio esse, erraret, quia eadem vtriusque est vis spiratiua (per num. 1.).

§. LXVII. Cum Deus sit absolute necessarius (§. 17.), spiritus S. autem sit verus Deus (§. 47. 50.), is absolute necessarius esse debet. Cum autem nihilominus essentiam suam a Patre & Filio habeat per spirationem (§. 65. 66.), *spiratio ipsa absolute necessaria debet esse* (§. 57.).

Spiratio est necessaria.

§. LXVIII. Quia spiratio, per quam Pater Filiusque essentiam diuinam cum Spiritu S. communicant, est absolute necessaria (§. 67.), & Deus tamen ab omnibus est independens (§. 17.), ut adeo absoluta illa necessitas aliunde pendere nequeat, *ex ipsa Patris Filiique natura debet fluere*. Attamen quia ab illis nolentibus non potest fieri, quia, si Pater & filius nolentes vel coacti Spiritum S. spirarent, non essent Deus independens, quod tamen sunt (§. 17. 30. 34.): nec ab indifferenter se habentibus, quia alias patri filioque perinde esset, vtrum spiritus S. Deus esset, nec ne, adeoque ipse spiritus S. posset esse & non esse, quod absolutæ eius necessitati repugnat (§. 67.): necessario sequitur, patrem filiumque volentes spiritum S. spirare (§. 58 Sch. I.). *Hinc spiratio est actus Patris & Filii, quo ex sua ipsorum natura volunt, ut existat spiritus S. eiusdem prorsus essentia diuina.*

Ex patris filiique natura fluens.

Scholion 1. Est autem voluntas illa patris filiique, ad spirationem spiritus S. concurrens, 1.) *absolute necessaria*. Nam si minus, deberet esse libera & contingens. Si autem esset contingens vel libera, posset esse æque ac non esse, & hinc ipse spiritus S. qui per spirationem illam producit, posset esse & non esse, quod absolutæ eius necessitati repugnat (§. 67.). 2.) *ex patris filiique natura fluens*. Quod ex absoluta necessitate illius sequitur, & paulo ante demonstratum est. Bene iterum BECANVS in Theol. Scholast. P. 1. p. 288. *Hoc spirare, inquit, non est liberum, sed necessarium & naturale.* 3.) *Patri filioque tantum competens*. Nam si spiritui S. ipsi etiam competeret, spiritus S. se ipsum, etiam spirando produceret, quod repugnans est, dum spirans, vtile, ipsum spiratum esse nequit. 4.) *Eadem numero in patre filioque*. Nam dum vis spiratiua in vtriusque eadem est numero (§. 66. Sch.); idem etiam de voluntate, quæ cum vi illa spiratiua coniuncta est, est dicendum. Idem

Voluntatis spiratiue in patre & filio affectiones.

appa-



apparet inde, quod cum pater & filius eandem numero essentiam diuinam habeant (§. 55.), omne id, quod illis competit, non habito ad oppositionem personalem respectu, idem numero debeat esse. Cum autem hæc voluntas non illis competat habito ad oppositionem personalem respectu, eadem numero voluntas in patre & filio debet esse.

Illa est voluntas personalis.

Voluntates personales sunt tantum duæ.

Remouetur dubium.

Scholion 2. Voluntas igitur spiritum S. spirandi, dum ex patris filiique natura fluit, est voluntas personalis (§. 58. Sch. 3.) & distinguenda a voluntate essentiali (§. cit.).

Scholion 3. Deus pater essentiam diuinam qua modum habendi habet a se (§. 64.) & eam largitur filio (§. 56.); vnde est voluntas personalis respectu generationis filii, soli patri competens & ex eius natura fluens (§. 58. Schol. 1. 2. 3.). Filius cum patre essentiam diuinam largitur spiritui S. (§. 56.); vnde oritur voluntas personalis spiratiua, patri filioque competens. Sed spiritus S. essentiam diuinam cum nullo alio communicat, siquidem his tribus tantum essentia diuina competit (§. 55.), & de nullo quarto scriptura S. nouit. Vnde spiritui S. nec competit voluntas personalis. E. voluntates personales sunt tantum duæ, generatiua & spiratiua, & quia vtraque est absolute necessaria (§. 58. Sch. 2. §. 68. Sch. 1.), omnis voluntas personalis est absolute necessaria.

Scholion 4. Sed si cui forte dubium inde oriatur, quod denegem spiritui S. voluntatem personalem, vt spiritum S. hinc non æque perfectum putet esse, ac patrem filiumque, ad hæc quæso attendat: 1.) si spiritus S. imperfectior est reliquis diuinitatis personis ideo, quod non habeat voluntatem personalem, imperfectior etiam debet esse reliquis ideo, quod essentiam diuinam non cum quarta quadam diuinitatis persona communicet. Nam voluntas personalis ad hoc ipsum tendit, vt essentia diuina cum quadam diuinitatis persona communicetur (§. 58. Sch. 3.). Iam vero sine dubio falsitas consequentis admittitur ab illis, qui hoc dubium formant. E. falsitas antecedentis etiam est agnoscenda. 2.) Distinguendum est inter perfectiones Dei essentielles & personales. In essentialibus perfectionibus tres diuinitatis personæ sunt sibi plene æquales, dum eandem numero essentiam habent (§. 55.), in personalibus non. Sic patri Deo competit perfectio, quod generet filium Deum (quis enim hoc imperfectionem dicet esse?), filio non. Et pariter patri filioque competit perfectio, vt spiritum S. spirent. Sed spiritus S. nullam aliam diuinitatis personam producit. Quodsi igitur spiritus S. non est qua essentiam diuinam imperfectior reliquis diuinitatis personis, licet non producat aliam diuinitatis personam, nec potest ideo reliquis imperfectior dici,



dici, quod careat voluntate personali, ad aliam personam producendam tendente.

Schol. 5. Dum Pater & filius spirando essentiam diuinam cum spiritu S., communicant, efficiunt, vt ille etiam sit spiritus a se, pariter ac pater filiusque (§. 22.). Sed hoc efficiendo, vim infinitam cogitandi appetendique cum eodem communicant (§. 12.) & hinc ipsam vitam diuinam (§. 56. Sch. 1.) ad similitudinem essentiae suae; siquidem dum eandem numero habent essentiam diuinam, habent etiam essentiam similem (§. 55. Schol. 4.). Hinc secundum definitionem generationis pater filiusque spiritum S. generare videntur. At quamuis verum sit, quod spiritui S. dent vitam diuinam secundum similitudinem essentiae, falsum est tamen, quod spiritum S. generent. Generatio praeter largitionem vitae ad similitudinem essentiae inuoluit etiam, vt respectus paternitatis & filiationis inde oriatur (§. 56. Sch. 5.). At vero ex spiratione spiritus S. non oritur respectus paternitatis & filiationis. Nam nusquam in S. scriptura pater aut filius pater spiritus S. nec hic illorum filius dicitur, nec ex ratione illa relatio potest demonstrari. Cum igitur proprium aliquod generationis in spiratione spiritus S. deficiat, non potest illa dici generatio. Cur autem ex communicatione essentiae in filio oriatur respectus paternitatis & filiationis, non vero ex illa, quae fit spiritui S., hoc fateor ex illis esse, quae in hac doctrina captum superant. Bene autem in hanc rem dicit symbolum ATHANASII: *Spiritus S. a patre & filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Schol. 6. Ceterum notandus hic est eorum error, qui per processionem nil, nisi missionem spiritus S. ad Apostolos & alios fideles in tempore factam, intelligunt. Nempe etiam si negandum non sit, spiritum S. a patre & filio, qua dona extraordinaria & miraculosa ad Apostolos aliosque olim missum esse, & qua dona ordinaria hodie adhuc ad omnes fideles mitti, de qua missione vno plura agunt scripturae S. testimonia: non tamen illa missio cum ipsa spiritus S. spiratione est confundenda. Nam 1) per spirationem spiritus S. accipit ipsam essentiam diuinam (§. 65. 66.); per illam missionem non, dum illa potius tendit ad dona hominibus conferenda. 2) Spiratio est absolute necessaria (§. 67.). Missio autem ad homines est contingens. Nam si Deus non creasset mundum, nec fieret illa missio & hinc dum mundus contingenter creatus est, missio etiam illa fit contingenter. 3) Spiratio illa fluit ex natura patris filiique (§. 68.). Non missio ad homines, quae potius, vt omnia reliqua, quae Deus circa homines operatur, a libero Dei decreto pendet. 4) Spiratio est

CARPOV. de Trinitate.

I

est

An pater & filius spiritum S. generent ?

An processio spiritus S. & missio eius ad homines sint idem ?



est æterna (§. 69.). Missio illa fit & facta est in tempore, habens durationis initium. §) Spiratio fit per voluntatem personalem & Patri filioque tantum competit (§. 68. Sch. 1. 2.). Missio per essentialem, & est, tanquam opus ad extra, omnibus diuinitatis personis communis. Nec est cur absurdum putes, quod spiritus S. se ipsum mittat. Pariter enim ac absurdum non est, quod Christus se ipsum resuscitauerit ex morte, sic, nec hoc potest esse absolum, dum non alium sensum habet, quam quod spiritus S. per propriam vim diuinam gratiose veniat ad Apostolos & fideles.

**Spiratio est æterna.** §. LXIX. *Spiratio*, qua spiritus S. spiratur, est absolute necessaria (§. 67.), & hinc *æterna*, nec principium nec finem durationis habens (§. 59.); at tamen consummata (§. 59. not. fin.).

**An ab humana Christi natura fiat?** §. LXX. Hinc dum humana Christi natura cepit in tempore Gal. IV, 4. *spiritum S. a filio, qua humanam naturam, non procedere*, sequitur (§. 69.). Et quamuis post factam filii incarnationem, ab eo, qui humanitate vestitus est, procedat, non tamen humana Christi natura essentialiam diuinam spiritui S. largitur. Repugnans enim est, vt vera creatura, quæ continuo influxu Dei indiget (§. 24. 25.), qualis humana Christi natura est Ier. XXXI, 22., ad esse creatoris, scil. spiritus S. (§. 49.), aliquid conferat.

**Monitum:** Scholion Negamus, spiritum S. ab humana Christi natura procedere sc. per processionem illam, de qua in præcedentibus dictum est, quam *missionem naturæ* nonnulli vocant. At si de *missione*, quam *gratia* vocant, ad Apostolos & alios fideles facta, sermo fit, aliter pronuncian- dum est. Nam cum largitio donorum spiritus S. pertineat ad opera ad extra, illa autem dum diuinitati Christi competunt, propter vnionem personalem communicatiue competunt etiam humanitati, processio spiritus S. de missione gratiæ intellecta, humanitati Christi etiam debet communicatiue competere. Vid. SCHERZERVM in Syst. Theol. p. 78. contra AVNNIVM & HOEPFNERVM disputantem.

**An pater & filius principium spiritus S.** §. LXXI. Quia *pater & filius* rationem spiritus S., mediante spiratione, in se continent, dum ex spiratione cognoscitur, cur spiritus S. fit (§. 2. 65. 66.): *possunt dici principium spiritus S.* (§. 61.), *sed non principia*, quia eadem numero virtute spiritum S. necessario (§. 67.) & ab æterno in æternum (§. 69.) produ-  
cunt

unt (§. 65.). Ex vnitatem enim numerica influxus vnitatis principii solet æstimari. cf. FECHT l. c. §. 77.

Schol. 1. Ut rectius hoc intelligatur, quo sensu pater & filius, qui tamen, ut generans & genitus, a se inuicem realiter distincti sunt, possint dici vnum principium spiritus S. notandum est, hæc nomina substantiua: principium spiritus S., Spirator immediate denotare quoddam individuum, quod est commune patri & filio, & nostro intelligendi modo constituitur ex essentia & spiratione actiua. Nam dum spiritus S. est quoddam relatiuum, debet habere quoddam correlatum. Sed correlatum debet esse spirator, dum pater & filius, ut tales, non possunt esse correlatum S. spiritus. Spirator autem & essentiam diuinam & spirationem actiuam includit. Conferatur BECANVS in Theol. Scholast. P. I. Tract. 2. c. 6. qu. 5. p. m. 293. Attamen non ideo putandum est, quod quatuor sint diuinitatis personæ, pater, filius, spiritus S. & spirator. Non enim spirator est noua Trinitatis persona, sed complectitur duas personas, scilicet patris & filii, quatenus sunt spiritus S. correlatum. Nec est, cur dicas: ita spiritum S. nec a patre nec a filio immediate procedere, sed ab illo spiratore. Nam ipse hic spirator patrem & filium includit.

Schol. 2. Ad recte & caute hac in re ardua loquendum, apprimè vtilis sunt regulæ sequentes: 1) *Ut nomina substantiua dicantur pluraliter, requiritur & pluralitas suppositorum vel personarum & significati formalis.* 2) *ut nomina adiectiua vel verba dicantur pluraliter, satis est pluralitas suppositorum.* Sic recte dicimus: Pater, filius & spiritus S. creant mundum; sed minus recte: sunt creatores mundi. Dicendum enim est, pater, filius & spiritus S. sunt creator mundi, ne pluralitas essentiæ creatoris inferatur. Pariter male dicitur: Pater, filius & spiritus S. sunt tres Dii; licet recte dicatur: Sunt Deus. Sic h. l. etiam male dicitur: Pater & filius sunt principia spiritus S. quia licet duæ sint personæ, significatus tamen formalis principii non multiplicatur, dum vnicum sunt principium (§. 71.); sed dicendum est, quod sint principium.

Schol. 3. Dum pater & filius absolute necessario spiritum S. spirant (§. 67.), facile inde colligitur, non propter insufficientiam virtutis in patre filium etiam ad spirationem concurrere, sed quia per essentiam diuinam non aliter est possibile. Accedit, quod, si spiritus S. a filio non procederet, non distingueretur ab eo realiter, quia tunc oppositio relatiua inter spirantem & spiratum cessaret. Vbi autem in diuinis non est oppositio relatiua, ibi propter vnitatem essentiæ numericam (§. 55.) omnia sunt vnum, nec est realis diuersitas.





An spiri-  
tus S. a se  
fit?

§ LXXII. Quamuis igitur spiritus S., vt verus Deus (§. 47-50.), habeat essentiam, quæ a se ipsa est (§. 22.), dum eandem numero cum patre *essentiam diuinam* habet (§. 55.): *qua modum tamen eam habendi, non est a se ipso*, patrem filiumque pro principio suo agnoscens (§. 71.).

An fit a  
patre &  
filio de-  
pendens  
& *αὐτό-  
θεος*?

Scholion Confer, mutatis mutandis, notam ad §. 62. Scilicet, mutatis mutandis, ex superioribus constat, non posse proprie spiritum S. a patre & filio dependentem dici, licet, qua modum habendi essentiam diuinam, rationem sui habeat in patre & filio (§. 62. Sch. 2.), nec posse patrem & filium causam spiritus S. appellari, licet possint dici eius principium (§. 62. Sch. 4.); nec posse spiritum S. dici *αὐτόθεον* qua modum habendi essentiam diuinam, licet possit ita dici qua ipsam essentiam (§. 62. Sch. 3.).

An agat a  
se?

§. LXXIII. Quia spiritus S. est a patre & filio (§. 65.), isthæc interna eius proprietas in opera quoque externa ita profluit, vt *spiritus S. a se non agat quidquam*, sed a patre & filio (§. 63.).

Consensus  
scripturæ.

Schol. Testatur id Christus Ioh. XVI, 13. Pater autem & filius in spiritu S. operari dicuntur Rom. XI, 36. 2. Thess. II, 13. quæ tamen particula diacritica *in* cum altera *per* interdum permutatur Pf. XXXIII, 6. propter filii spiritusque S. *ὁμοσίαν* (§. 55.). Attamen notetur, modum agendi dupliciter spectari posse, *vel in quantum ille nude personarum in agendo ordinem & consequentiam significat*, qua ratione pater, filius & spiritus S. non eodem modo, sed ita agunt, vt pater per filium in spir. S. Rom. XI, 36.; *vel in quantum concipitur modus operandi, respectu virtutis agendi inæqualis*, ab vno illorum per modum *ἐξοχῆς* dependens, inque ceteros posterioritatem temporis vel dignitatis, vel virtutis, vel libertatis inferioritatem inducens, qualem Christus inter se & patrem, conuenienterque & spir. S. inter se & patrem filiumque negat Ioh. V, 19. 21.

Quomo-  
do pater a  
se fit?

§. LXXIV. Deus pater *essentiam diuinam, qua modum habendi, habet a se ipso* (§. 64.); id quod inde etiam intelligitur, quod essentiam diuinam largiatur filio & spiritui S. (§. 56. 65. not.), non autem possit illam vicissim a filio & spiritu S. communicatam accipere, quia alias circulus oriretur. Hæc autem  
aſeitas



aseitas patris non confundenda est cum aseitate essentiae diuinæ. Nam cum pater filius & spiritus sanctus eandem numero essentiam habeant diuinam (§. 55.), & Deus sit ens a se (§. 16.), omnes habent eam essentiam, quæ est a se ipsa. Ast solus pater eam habet a se ipso. Vnde aseitas patris, quatenus est pater, non essentiam, sed modum habendi eam, respicit.

Schol. 1. Disputatum fuit h. l. *quo sensu pater ingenuus & innascibilis sit dicendus?* Difficultas enim orta est ex diuersa vocis *ingenuus & innascibilis* acceptione. Nempe 1.) si ingenuus & innascibilis denotat eum, qui nulla ratione est ab alio; sequitur  $\alpha$ ) patrem esse ingenuum, quia nullo modo est ab alio, dum & habet essentiam, quæ est a se ipsa, & qua modum habendi eam, eam habet a se ipso (§. 74. 64.);  $\beta$ ) solum patrem esse ingenuum, quia & filius est ab alio sc. a patre per generationem (§. 56.) & spiritus S. est ab alio sc. a patre & filio per spirationem (§. 65.). 2) Si ingenuus & innascibilis denotat eum, qui per generationem propriam genitus non est, sequitur  $\alpha$ ) patrem esse ingenuum, quia dum etiam qua modum habendi essentiam diuinam est a se, per generationem propriam generatus non est,  $\beta$ ) spiritum S. quoque esse ingenuum, quia spiratio istius pro generatione nequit haberi (§. 68. Sch. 5.).

Quo sensu  
pater sit  
ingenuus.

Schol. 2. Hinc potest intelligi, quomodo capienda sit locutio patrum ecclesie vetustiorum, HILARII L. 4. de Trinitate, AVGVSTINI L. XV. c. XXVI. de Trinit. *quod spiritus S. sit nec genitus, nec ingenuus.* Non enim est genitus, si genitum significat id, quod per generationem veram est ab alio; nec est ingenuus, si ingenuum significat id, quod nullo modo est ab alio. Est enim per processionem a patre filioque (§. 66.).

Quo sensu  
spiritus S.  
sit nec ge-  
nitus, nec  
ingenuus?

Schol. 3. Videndum est etiam: *quo sensu pater principium totius diuinitatis possit appellari*, quod nominis ei sæpius ab ecclesie patribus fuit tributum. 1) Si per totam diuinitatem intelligatur essentia diuina, secundum quam Deus est spiritus a se (22.), pater non potest dici principium totius diuinitatis. Nam & essentia diuina siue spiritus a se non habet vllum sui principium, dum alias non esset spiritus a se (§. 7.), & pater est ipse spiritus a se, habens essentiam diuinam; sed nequit fieri, vt idem sit sui ipsius principium (§. 61.). 2) Si per totam diuinitatem intelligantur tres personæ diuinitatis, quibus omnibus essentia diuina est communis (§. 55.), nec hoc sensu pater principium totius diuinitatis potest appellari. Nam alias pater sui ipsius principium esset dicendus, quod iterum repugnat notioni principii (§. 61.). 3) Si patrem totius diuinitatis

Quo sensu  
pater sit  
principi-  
um totius  
diuinita-  
tis?



nitatis principium dicas hoc sensu, quod omnes Deitatis personæ, quæ non sunt ipse pater, a patre procedant vel sint, & pater earum rationem in se contineat, sententia vera est (§. 61. 71.). 4) LOMBARDVS ita explicat, quod pater sit principium filii, in quo sit tota Deitas, essentialiter spectata, itemque spiritus S., de quo idem dicendum est. Quæ explicatio licet in se vera sit, sensum tamen locutionis non videtur exhaurire.

Quomodo agat?

§. LXXV. Aseitas patris, vt talis, in subsistendo (§. 74.) in operibus externis etiam se debet exferere, vt *agat a se* (§. 63.).

Consensus scripturæ.

Scholion. Hinc dicitur pater agere a se per filium in spiritu S., qualis agendi modus nulli ex Diuinitate, præterquam patri, competit 1. Cor. II, 6. Rom. XI, 36. Eph. IV, 6. Nam nec filius a se agit quidquam, nec S. spiritus (§. 63. 73.). Et particula diacritica, tributa patri, est *ἐκ* Rom. XI, 36. 1. Cor. II, 6., licet illa quoque interdum propter patris cum filio spirituque S. *ὁμοσίου* cum alia commutetur 1. Cor. I, 9. Hebr. II, 10.

Ordo personarum.

LXXVI. Hinc cum pater essentiam diuinam habeat a se (§. 64. 74.), illamque largiatur filio & spiritui S. (§. 56. 65.), *primus is est in diuinitate ratione ordinis in subsistendo & operando* (§. 75.). E contrario *non est primus 1. ratione perfectionis*, quia filius, pariter ac pater (§. 30.), est verus Deus (§. 34. 42.) & hinc omnium attributorum diuinorum particeps (§. 35.), nec non spiritus S. verus Deus (§. 47. 50.), adeoque omnium attributorum diuinorum particeps est (§. 48.); 2. *nec ratione virtutis agendi ad extra*. Nam dum illa sequitur perfectiones essentielles, in his autem pater præ filio spirituque S. præcellentiam non habet (per n. 1.), nec potest illam ratione virtutis, ad extra operandi, possidere. 3. *nec ratione temporis*, quia, quemadmodum pater est ab æterno (§. 18. 30.), ita etiam filius est æternus (§. 36.), & spiritus S. (§. 18. 48.). 4. *nec ratione dignitatis*, quia, quemadmodum pater diuino honore est prosequendus (§. 30. 44.), ita etiam filius (§. 44.) & S. spiritus (§. 54.). *Filius autem, utpote a solo patre essentiam diuinam communicatam habens* (§. 56.), *secundus est in Diuinitate ratione ordinis in subsistendo* (§. 63.), *non ratione perfectionis, nec virtutis ad extra operandi, nec temporis,*

poris, nec dignitatis ( per demonstrata ). *Spiritus S.* vtpote a patre & filio essentiam diuinam habens communicatam (§. 65.), *tertius* in Diuinitate est *ratione ordinis* in subsistendo & operando (§. 73.), non ratione perfectionis, nec virtutis ad extra operandi, nec temporis, nec dignitatis ( per demonstrata ). Illum scilicet ratione ordinis priorem altero dicimus, qui prior altero est concipiendus; vti e.g. principium prius principiatio est concipiendum.

Schol. 1. Hic inter patrem, filium spiritumque S. ordo saepe diser- Consensus  
te in S. scriptura retinetur e.g. Matth. XXVIII, 19, saepe inuertitur e.g. 2. Cor. XIII, 13. Apoc. I, 4. 5. ne vlla prioritas perfectionis, virtutis, temporis aut dignitatis inde eliceretur. Eundem ordinem iam agnouit IUSTINVS MARTYR, Apol. 2. pro Christianis, τὸν υἱὸν, inquiens, τῷ ὄντως Θεῷ μαθόντες, καὶ ἐν δευτέρῃ ἰσότητι ἔχοντες, πνεῦμά τε προφητικὸν ἐν τρίτῃ τάξει, i. e. *Iesum agnoscimus veri Dei filium & loco secundo colimus, tertiumque ordine spiritum propheticum.*

Schol. 2. Idem, qui inter patrem, filium spiritumque S. inuenitur Cur dica-  
tur ordo  
originis &  
naturæ?  
ordo bene dicitur ordo originis & ordo naturæ. *Ordo originis* dicitur, quatenus respicit originem personarum, dum pater nullum sui agnoscit vltius principium (§. 64. 61.), sed est tamen principium filii spiritusque S. (§. 61. 71.); filius solum habet patrem pro principio (§. 61.), eiusque principiatum est (§. 61. Sch. 2.), sed ratione spiritus S. principii titulo gaudet (§. 71.); spiritus S. & patrem & filium habet pro principio (§. 71.), sed nullus alius diuinitatis personæ est principium, dum tribus illis diuinitas absoluitur. *Ordo naturæ* autem dicitur, quatenus non est Deo arbitrarius, sed ex natura patris fluit generatio filii (§. 58.) & ex natura patris filiique, vt spiratoris, spiratio Spiritus S. (§. 68.).

Schol. 3. Attamen recte etiam in omnibus essentialibus attribu- In quom-  
nam tres  
personæ  
æquales  
sint?  
tis, vi agendi, duratione, denique cultu inde resultante omnibus tribus æqualitas tribuitur. Nam æqualia dicuntur, quæ eandem habent quantitatem; idem autem eandem quantitatem habere, est exploratissima veritas. Iam pater, filius spiritusque S. in omnibus essentialibus sunt idem, quia eandem numero habent essentiam diuinam (§. 55.). Hinc in omnibus essentialibus scil. perfectionibus & duratione & vi operandi, eandem quantitatem scil. infinitam habere debent. Vnde non potest non concedi, quod in illis sint sibi inuicem æquales. Pariter dum cultus consequens est



est perfectionum (§. 44.), in perfectionibus autem sunt sibi æquales, idem de cultu, illis exhibendo, iudicandum est.

An detur  
subordi-  
natio in  
Diuinita-  
te?

Schol. 4. Ordo personarum Deitatis eiusmodi, ut personæ sint perfectionibus inæquales, dicitur *subordinatio*, quam præter Anglos, CVDWORTHVM & BVLLVM, defenderunt Arminiani, EPISCOPIVS & LIMBORCHIVS, alii, alii autem vocant *Arianismum mollem*. At vero cum omnes diuinitatis personæ in perfectionibus suis essentialibus, & quæ inde sequuntur, sint æquales (§. 76. Sch. 3.), evidentissime patet, nullam subordinationem in diuinis esse admittendam. Quin ex ipsa ratione sana potest concipi, subordinationem in Deitatis personis esse absonam. Nam si datur personarum subordinatio, ut filius patri, spiritus S. autem patri filioque subordinatus sit, perfectionum, quas quilibet eorum possidet, debet dari inæqualitas. Si autem filius patri in perfectionibus est inæqualis, pater autem, ut verus Deus, habet perfectiones omnes summasque vel infinitas, filius vel non omnes vel non summas habet perfectiones. Si filius vel non omnes vel non summas perfectiones habet, non est Deus (§. 17). Et par est ratio spiritus S. Repugnans igitur est, ut cuique personæ diuinitas tribuatur, & tamen subordinatio earundem defendatur. Nec est cur dicatur, quod filius Dei patrem vocet suum Deum Matth. XXVII, 46. Nam, ut taceam, id de humana Christi natura exinanita posse intelligi, distinguendum est inter vocabulum Dei essentialiter & personaliter sumptum, & facile patet, id personaliter ibi sumendum esse, hoc sensu, quod persona filii sit ab alia diuinitatis persona sc. patre. Et par est ratio illorum locorum, in quibus spiritus S. patris vel filii dicitur spiritus; v. B. GRAPIVS in Theol. rec. controu. qu. 15. p. 136. seqq.

Differen-  
tia realis  
persona-  
rum.

§. LXXVII. Diuersa dicuntur, in quorum vno est aliquid, quod in altero non est. Cum igitur in generante aliud quid sit, quam in generato, siquidem generans dat vitam generato, generatus accipit (§. 56. Sch. 5.), generans & generatus debent esse realiter distincti. *Deus pater igitur & Filius sunt realiter distincti* (§. 56.). Pariter cum in spirante aliud quid sit, quam in spirato, spirans & spiratus debent realiter inter se differre. Hinc cum pater & filius spiritum S. spirent (§. 65.), *spiritus S. a patre Filioque debet realiter differre.*

Consensus  
scripturæ.

Schol. 1. Hinc I. S. scriptura eos clare, tanquam diuersos, representat



sentat Ioh. V, 32. 37. XIV, 16. 17. 26. XV, 26. 2. In baptifmate Christi quilibet sub peculiari fchemate cognofcendum feſe præbebat Matth. III, 16. 17. 3. Et tres eſſe in cœlo teſtimonium exhibentes, aſſeritur I. Ioh. V, 7. licet hi tres ſint vnum ſcilicet eſſentia, dum eandem numero eſſentiam diuinam habent (§. 55.). 4. In formula baptifmali Matth. XXIIIX, 19. Chriſtus omnes tres tanquam diſtinctos vere & realiter exhibit, baptizare iubens εἰς τὸ ὄνομα τῆ πατρὸς καὶ τῆ υἱῆ καὶ τῆ ἀγίας πνεύματος; vbi fruſtra a ſapientiſſimo diuinorum arcanorum interprete tria diuerſa nomina, quorum cuilibet peculiaris ſignificatus ſubest, fuiſſent adhibita, fruſtra articulus δεικτικὸς τῆ τετ̄ eſſet additus, fruſtra bis repetita eſſet particula copulatiua καὶ, niſi realis eſſet illorum trium diſtinctio. Vnde recte Deus Trinunius & Trinitatis nomine deſignatur.

Schol. 2. Ad hanc realem patris, filii ſpiritusque S. diſtinctionem indicandam, bene patres eccleſiæ contra hæreticos, illos inter ſe confundentes, ipſa ſcriptura S. præunte Ioh. XIV, 16. dixerunt, quod in Trinitate detur ἄλλος καὶ ἄλλος ὑποſτατικῶς, licet non ἄλλο καὶ ἄλλο ἕſτιω-  
P. F. & Spir. Sanctus ſunt ἄλλος καὶ ἄλλος, non ἄλλο καὶ ἄλλο.  
 δῶς. Hæc enim ipſorum mens eſt, alium patrem, filium alium, alium ſpiritum S. ſcil. in reſpectu perſonali (ita vt pater non filius, nec filius pater ſit), non autem aliud eſſentia eſſe, quia omnibus tribus eadem numero eſſentia competit (§. 55.). Optime in hunc ſenſum AVGVSTINVS L. de fide ad Petrum c. 1. ait: *Vna eſt patris & filii & ſpiritus S. eſſentia, in qua non eſt aliud pater, aliud filius, aliud ſpiritus S. quamuis perſonaliter ſit alius pater, alius filius, alius ſpiritus S.*

Schol. 3. Falluntur enim dubia, quibus olim realem illorum diſtinctionem infringere conati ſunt. Sic 1.) ex Deut. XXXII, 39. Ieſ. XLV, 5. argumentati ſunt: *Quicumque eſt alius a patre, ille non eſt Deus, & hinc quicumque eſt Deus, ille non eſt alius a patre. Sed filius & ſpiritus S. ſunt Deus E. non ſunt alii a patre.* Sed diſtinguendum eſt in maiore inter alium a patre eſſentialiter & ὑποſτατικῶς. Si eſſentialiter intelligatur, conceditur totum argumentum (§. 55.); ſi ὑποſτατικῶς, conceditur minor, ſed negatur maior, quæ ex ll. cc. non poteſt probari. Nam in illis ipſe eſſentialiter ſpectatus Deus de ſe dicit, non dari alium Deum præter ſe. 2.) Opponunt Ioh. X, 30. Ego & pater vnum ſumus Ioh. XIV, 9. Qui me videt, videt patrem. Sed prior locus poteſt intelligi, quod ſint vnum eſſentia & conſenſu (§. 55. & §. 55. Sch. 3.), ſed non eo uſque eſt extendendus, vt omnis realis differentia inter patrem filiumque tolleretur, quia id veritati exploratæ & demonſtratæ contradi eret. Pariter dum Chriſtus, patrem videre, ait, qui ſe videat, de effectibus  
Reſolutio dubiorum.  
 CARPOV. de Trinitate. K ex-



externis miraculosis est intelligendum, utpote in quibus eadem est virtus patris filiique. 3.) *In Deo nihil est nisi essentia & relatio, sed neutrum generat & generatur E. in Deo nihil est, quod generat & generatur E. non sunt plures in Deo persona.* Sed falsum est, nihil in Deo dari, nisi essentiam & relationem. Nam adsunt etiam personæ (prouti c. seq. patrem, filium, spiritum S. personas esse demonstrabimus), quarum quælibet essentiam & relationem suam peculiarem includit. Unde licet nec de essentia, nec de relatione dicendum sit, quod generet aut generetur, de persona tamen potest dici.

**Monitum.** Schol. 4. Non tamen realis patris, filii spiritusque S. differentia est ita intelligenda, quod essentia diuina sit aut ex his tribus composita, aut inter eos diuisa, sed ita, quod omnes illi tres essentiam diuinam eandem numero habeant & possideant (§. 55.), licet sub diuersis relationibus & respectibus, quos in præcedentibus iam fufius explicauimus.

**Confes-**  
**quens dif-**  
**ferentia**  
**realis per-**  
**sonarum.** Schol. 5. Realis horum trium, quibus essentia diuina competit, diuersitas influit etiam in modum colendi Deum. Nam dum quælibet diuinitatis persona habet essentiam diuinam (§. 30. 34. 47.) & ab altera tamen realiter differt (§. 77.), cuilibet etiam seorsim cultus diuinus & religiosus potest exhiberi, siquidem cultus est perfectionum consequens (§. 44.). Et pariter dum quælibet tamen persona essentiam diuinam habet non cum exclusione reliquarum, etiam cultus diuinus potest quidem ad vnã seorsim personam dirigi, sed non cum exclusione reliquarum personarum. Videatur de hoc pluribus agens GRAPVVS in Theol. rec. controu. p. 178. seqq. qu. 25.

**Cur Deo**  
**tribuatur**  
**pluralitas?** §. LXXVIII. Vfus rei Dei circa illam finis est (Met. Wolff. §. 1029.). Hinc cum locutiones Dei de se & S. scripturæ V. T. de illo, tanquam de pluribus, hanc nobis vtilitatem præstent, vt Trinitatis in Diuinitate admoneamur, idem locutionum illarum finis diuinus est.

**Vbi?** Schol. 1. Fit autem de Deo, vt de pluribus, mentio i. per ipsam vocem אֱלֹהִים, quæ non terminatione solum, sed significatione etiam, utpote singulari non destituta, pluralis est, præcipue quando & adiectiuus pluralis numeri e. g. Deut. VI, 4. 1. Sam. XVII, 26. 36. & verbis plural. num. iungitur e. g. Gen. XX, 13. XXXV, 7. 2. Sam. VII, 23. Quamuis enim voces כְּעֵלִים & אֱרֹנִים, quæ domini voces sunt, sæpe in plurali numero adhibeantur & denotent tamen singularem, licet nec formatio singularis כְּעֵל & אֱרֹן illis deficiat, non tamen inde colligi potest, patrem forte rationem esse vocis אֱלֹהִים, vt licet terminatione pluralis, signi-

significatione tamen singularis fit. Dispar enim harum vocum **אלוהים**, **ארניס**, & **בעלים** est ratio, dum posteriores duæ sunt quidem voces dominii, non prior. vid. B. DANZ. in Diss. de pluralitate personarum diuin. in Consultat. diu. Gen. I, 26. 2. In aliis locis e.g. Gen. I, 26. III, 26. XI, 7. Iob. XXXV, 10. Pf. CXLIX, 2. Ies. VI, 8. LIV, 5. Nec est, cur dicatur, ideo de Deo, vt de pluribus, mentionem fieri, vt *maiestas diuina indicetur*: quia, si hæc vera esset ratio, in legis promulgatione Ex. XX, vbi vel maxime maiestatem suam ostendebat Deus, ante omnia in plurali de se loqui debuisset. Cui accedit, quod stylus maiestaticus ne quidem in omnibus possit habere locum e. g. Gen. III, 22. vbi fit partitio, per stylum maiestaticum inexplicabilis, sed realem pluralitatem supponens. 3. In eiusmodi locis, vbi Deus a Deo distinguitur e. g. Gen. XIX, 24. Ex. III, 2.6. XI, 3. 1. XXXIII, 19. coll. XXXIV, 5.6. 4. per indirectum ibi, vbi *ter sanctus* dicitur Ies. VI, 3. Apoc. IV, 8. & in benedictione Num. VI, 24-26. it. Pf. LXVII, 7.8. vbi notetur, in medio poni: Deus noster, quod optime ad filium Dei propter assumptam humanitatem refertur.

Schol. 2. Dum mentionem feci vocis Elohim, nullo modo asserendum est CLERICO, in Comment. in Gen. I, 1. asserenti, quod consuetudo, nomen Dei in plurali efferendi, non aliis, quam illis, qui plures sibi Deos finxerunt, originem debeat, quodque Hebræi, Cananæorum terram incolentes, linguam eorum didicerint & hinc vsus vocabuli Elohim, licet pro vno vero Deo accepti, adoptauerint. Nam si nomen **אלוהים** est idololatricum, pluralitatem Deorum per natiuam acceptionem significans, credendum non est, Deum hoc nomine vocari voluisse, quoniam id ei non in honorem, sed potius in ignominiam cessisset, pariter ac nomine **בעל**, in se bono, & Dominum significante, noluit vocari amplius, postquam in significatum idololatricum illud degenerauerat Hof. II, 16. 17. Vt taceam, nulla probabilitate niti, quod Israelitæ nomen Elohim a Cananæis idololatri demum acceperint, cum vero multo similis videatur, quod illud acceperint a patribus suis Iacobo, Isaaco, Abrahamo, hic vero a patribus suis, Semi posteris, dum, antequam in terram Canaan deducerentur, eodem Dei nomine iam sunt vsi, coll. Gen. XXII, 8. XXVII, 28. XXVIII, 20. 21.

§. LXXIX. Vt autem diiudicare queamus, an ipsa Trinitas reuelata & cognita fidelibus in V. T. fuerit, notamus, totam de Trinitate doctrinam ad tres potissimum propositiones redire,

K 2

1. quod

An vox **אלוהים** habeat originem idololatricam?

Doctrinae de Trinitate capita summa.





1. quod pater sit verus Deus, ut & filius & spiritus S. (§. 30. 35. 47.),  
2. quod hi tres sint realiter distincti (§. 77.), 3. nec tamen tres,  
sed vnus tantum, si essentiam diuinam spectes, sit Deus (§. 55.).

Contro-  
uerfia Ca-  
lixti.

S. hol. Huc pertinet notissima CALIXTI cum WELLERO aliisque  
Saxonis Theologis controuersia. CALIXTVS enim quam plurima V. T.  
loca ad arduam de Trinitate doctrinam accommodari quidem a nobis  
posse, & recte etiam accommodari, asserit, multis etiam Patriarchis &  
Prophetis Trinitatem patefactam & cognitam fuisse, concedit, sed ex so-  
lis V. T. monumentis, non accedentibus noui foederis libris, firmiter &  
solide contra aduersarium pertinacem eandem doctrinam euinci posse,  
negauit, prouti fusius sententiam suam exposuit & defendere, sed vane,  
nilus est in der Widerlegung der Verläumdungen WELLERI Helmst. 1651.

Capita  
summa de  
Trinitate  
exstant in  
V. T.

§. LXXX. Vti patris filiique Pf. II, 7. sic etiam spiritus S. Gen.  
I, 2. Psalm. XXXIII, 6. Ies. XLIX, 16. in V. T. fit mentio. 1) Pa-  
tri non solum, sed & filio & spiritui S. opus creationis tribuitur Pf.  
XXXIII, 6. Quod enim per verbum non λόγος προφασις, sed  
ὕποστασις siue filius Dei sit intelligendus & intellectus fuerit a  
fidelibus V. T., non solum ex paraphraste Chaldaeo, sed ex ipsa  
etiam interpretatione Ioh. c. I, 1. sqq. qui ex inspiratione diuina  
hoc loquendi more, tanquam Ebraeis tum recepto, vsus est (§. 29.  
Sch. 2.), elucescit. Quod autem per spiritum oris Dei spiritus  
S. sit intelligendus, docet Gen. I, 1. 2. Cum autem creatio sit opus  
soli Deo proprium (§. 23.), *Patrem, filium & spiritum S. verum  
Deum esse, ex hoc V. T. loco potest colligi.* Pariter qui Israelitas ex  
Aegypto eduxit, & ab iisdem peccatis tentatus est, quin verus  
Deus sit, non est dubium Ex. III, 2-6. seqq. Num. XIV, 11. Pf.  
LXXII, 17. 40. 41. Sed illud angelo Domini h. e. filio, hoc spi-  
ritui S. tribuitur Ies. LXIII, 9. 10. Vnde, cum de patre non  
sit dubium, filium & spiritum S. verum Deum esse, apparet. 2)  
Quod hi tres realiter sint distincti, apparet ex Ies. XLIX, 16, vbi  
loquens est filius Dei, futurus Messias, ipse Deus v. II-14. mit-  
tentes pater & spiritus eius. Sed mittens & missus debent esse rea-  
liter distincti (§. 77.). E. pater & spiritus eius, qui ipsi etiam, tan-  
quam distincti, diuersis nominibus indicantur, tanquam mitten-  
tes,



tes, distincti sunt realiter a misso filio. 3) Quod autem nihilominus *vnus tantum sit Deus*, grauissime in Mose Prophetisque inculcatum legimus (§. 17.); vnde simul patet, hos tres eandem numero essentiam diuinam habere.

§. LXXXI. Cum igitur tria, ad quæ potissimum redit de Trinitate doctrina, in V. T. exstent (§. 80.), quin illa *tempore V. T. cognita fuerit*, non est dubitandum; vnde in ipsis quoque libris apocryphis vestigia Trinitatis deprehendimus. Attamen negandum non est, illam in libris N. T. ampliori lumine esse perfusam, vti ex collatione superiorum est euidentis.

Schol. 1. In libris apocryphis Trinitatem sapiunt inter alia loca sequentia: 1) Sap. IX, 1. Deus, qui fecisti omnia *ἐν λόγῳ σοῦ* coll. Psalm. XXXIII, 6. & Ioh. I, 1. 2) Sap. XVI, 12. Sanabat illos nec herba, nec emplastrum, *ἀλλὰ ὁ σὸς κύριε λόγος*, omnia sanans coll. Ex. XV, 26. 3) Sap. VII, 26. Sapientia sc. hypostatica est *ἀπαύγασμα Φωτὸς αἰδίου* & speculum immaculatum potentia Dei, *καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτῆς*, coll. Hebr. I, 3. Col. I, 15, vbi talia de filio Dei prædicantur. 4) Sir. LI, 10. (Græc. vel v. 14. Germ.) *Ἐπεκαλεσάμην κύριον πατέρα κυρίως με*, ne me dereliqueret in diebus afflictionis, coll. Pl. CX, 1. Matth. XXII, 44. 43.

Schol. 2. Quæritur etiam, *an ipsis primis parentibus, in statu integritatis versantibus, iam perspectum fuerit arduum de Trinitate dogma?* Et sane cum creati essent eo consilio, vt Deum recte colerent & adorarent, vti est; non tantum vt vnum, sed vt trinum etiam eum colere & adorare debuerunt. Sed qui potuerunt vt Trinum colere, deficiente Trinitatis cognitione? Cultus enim cognitionem perfectionum alterius supponit (§. 44.). Hinc tum parentes primi Deum vt Trinum colere debuerunt, debuerunt etiam vt Trinum cognoscere vel in ipso integritatis statu. Si quæras autem, vnde cognitionem Trinitatis hauserint, deficiente scriptura S. sciendum est. eos aut ex cognitione rationis sanæ, quam nobiscum communem habebant, aut ex cognitione habituali concreata, quæ ad imaginem Dei pertinebat, aut ex speciali reuelatione diuina, coram facta, cognitionem Trinitatis haurire debuisse. Sed ex cognitione naturali rationis sanæ non potuit fieri, quia alias nobis etiam ex eodem principio innotescere deberet eadem doctrina, quod falsum, vt infra (§. 104.) ostendam. Nec ex reuelatione speciali homo

K 3

hanc



hanc cognitionem acquisiuit, quia alias non satis aptus a Deo creatus fuisset, ad finem suum, Deum vt vnum & Trinum colendi, obtinendum. E. per ipsam cognitionem habitualement, quæ pars imaginis Dei erat, hanc cognitionem possedit; licet, per lapsum perditam cognitione habituali, perditam etiam fuerit Trinitatis cognitio, vt nisi ex S. scriptura illam haurire liceret, dum vita præsentem fungimur, illa nos plane fugeret.

An patres  
ecclesiæ  
Ante-Ni-  
cæni?

Schol. 3. Dum dogma de SS. Trinitate non solum fidelibus V. T. cognitum, sed etiam in noui foederis libris tot testimoniis euidentissimis comprobatum fuit: mira audacia est recentiorum Anti-Trinitariorum, in quibus SANDIUS, WHISTONVS alique vigent, dum perhibent, a patribus ecclesiæ ante Conc. Nic., Sæc. 4. habitum, non agnitam nec creditam Trinitatem esse. Cui errori iam olim sese opposuit CALOVIUS in *Diff. f. t. Confessio Martyrum & aliorum fidelium post Apostolorum excessum de SS. Trinitate* Witt. 1658. Recentissime autem Cel. WUCHERER in *Program. de patribus Ecclesiæ Ante-Nicænis Arianismo non fauentibus*, nostram de Trinitate doctrinam patres ante-Nicænos agnouisse, ostendit inde, quod Athanasius Arianos inculparit discessus doctrinæ, quam a Patribus acceperint, quodque hi, prouocati licet, non potuerint patres orthodoxos consentientes in medium proferre, nec stare voluerint iudicio Patrum antiquorum.

An Trini-  
tas sit ex  
schola Pla-  
tonico-  
rum;

Schol. 4. Stultissimum etiam est Socini & affeclarum eius commentum, dum illi ex schola Platonica arduum de Trinitate dogma ortum trahere & qui illud defendunt, loco Euangelii Christi Platonis figmenta defendere, non erubescunt asserere. Dum enim ipsi protoplasti iam Deum vt Trinum agnouerunt (§. 81. Sch. 2.), dum Moses plus simplici vice Trinitatem innuit, dum ex prophetarum libris illa demonstrari potest (§. 78. 80.): qui ex schola Platonica ortum potest trahere? Certe antiquiores discere ab iis, qui multis sæculis iuniores sunt, tam est absurdum, vt maius cogitari nequeat. Præterea ne dicam, incertissimum esse, num Plato locis illis, qui a defensoribus adducuntur, Trinitatem nostro sensu indicare voluerit: tamen si vel maxime id extra dubitationis aleam positum esset, potius esset dicendum, Platonem illos loquendi modos, qui Trinitatem sapere videntur, a Iudæis didicisse, quam quod Christiani, qui purissimos ipsius S. scripturæ V. Nque T. fontes habebant, ex corrupta schola Platonica hauserint. v. GRAPIVS *Theol. rec. controu. c. 2. qu. 2. p. 105.*

Trinitas

§. LXXXII. Quia autem oeconomia salutis, in S. scriptura reue-



reuelata, huc redit, quod pater dederit filium redemptorem mundi Ioh. III, 16. XVII, 3. & partam a filio salutem per fidem in illum applicet spiritus S. I. Cor. XII, 3: *Trinitas SS. ad salutem est cognitu credituque necessaria.*

ad salutem  
est creditu  
necessaria

Scholion. Hinc simul potest ratio dari, cur Deus Trinitatem in S. scriptura hominibus reuelauerit? Nempe cognitio operis redemptionis, quo nititur salus nostra, supponit cognitionem Trinitatis. Nam dum cognitio operis redemptionis inuoluit, quod Messias, a Deo missus, patiendo satisfactionem pro genere humano praestiterit, & agendo legem pro hominibus impleuerit perfectissime: opus erat, vt simul reuelaretur, quisnam sit ille Messias? Vnde & filium Dei verum patri consubstantialem Deum & verum hominem eum esse, reuelatum est. Pariter dum eadem cognitio inuoluit, quod spiritus S. appropriatiue homines illuminare, regenerare, sanctificare debeat, reuelandum erat, quisnam sit ille spiritus S.? scilicet eum pariter verum Deum esse, patri filioque consubstantialem. Sed hoc pacto ipsa SS. Trinitas erat reuelanda. Accedit ratio altera, propter quam ipsis etiam protoplastis cognitam fuisse Trinitatem asseruimus (§. 81. Sch. 2.), scil. vt Deus ab hominibus ita, vti est, i. e. non tantum vt vnus, sed etiam vt Trinus coleretur.

Cur Deus  
Trinitatem  
in S.  
scriptura  
reuelauerit?

### CAPVT III.

#### S. S. TRINITATEM SVB TERMINIS ECCLESIASTICIS PROPONENS.

##### §. LXXXIII.

**E**ns, facultate agendi praeeditum, dicitur substantia, v. THVM-Substantia  
MIGII institut. Philos. Ontol. §. 87. Vetusiores Metaphysici quid?  
substantiam dicebant ens, quod non existit in alio, tanquam in subiecto; & illud in altero, tanquam in subiecto, esse dicebant, quod actu & reuera in alio ente est, ita vt de illo possit vere affirmari, nec ad illius essentiam spectet, neque inlit ei, tanquam pars; neque ab ipso separari possit positivae, h. e. ita, vt, facta separatione, remaneat. v. HEBENSTREIT in Phil. prima part. I. c. 3. th. 2. §. 9. 10. Ill. WOLFIVS in Ontol. Lat. §. 768. substantiam dicit subiectum perdurabile & modificabile; cuius definitionis cum

Scho-



Scholasticorum & Cartesianorum definitione consensum ostendit §. 771. seq.

Monitum  
generale  
de termi-  
nis eccle-  
siasticis

Scholion Dum sub terminis, in ecclesia receptis, Trinitatem proponere constituimus, prænotamus contra Quakeros, Fanaticos & id furfuris alios homines, qui, dummodo recte de re ipsa sentiant, omnes illos terminos proscribi iubent, & tantum non blasphemæ, saltim cum magna audientium offensione de illis loquuntur, rem non tam ad terminos illos, quam potius ad ipsam arduum de SS. Trinitate dogma redire. Nam dum termini adhibentur tantum, ad rem ipsam breviori modo exprimendam, erroris nondum est reus, qui qua ipsam rem veram sententiam amplectitur & tuetur, licet a termino citra contumeliam & ludibrium abstineat. Nihil enim is agit aliud, quam ut pro definito definitionem substituat, quod sine errore fieri, ex Logicis perspectum est. Unde bene REBENSTREIT in Syst. Theol. T. 1. loc. 2. th. 70. §. 18. p. 574: *In formalis, inquit, loquendi vel enunciandi sacra dogmata, modo in ipsa re consensus sit, hæresis nulla est, quia rerum, non vocum diuersitas hæresis est.* Attamen dum termini illi, si exacte desinoiantur, succincte enunciant, quæ alias fusius, pro definito definitione substituta, essent exprimenda; prætereaque illi ab antiquissimis temporibus iam ita in ecclesia recepti sunt, ut, illis relictis, antiquiores ecclesiæ doctores intelligendi copia non daretur, nulla est ratio, cur illos deseramus. Nec est, cur, vulgum non satis illos terminos intelligere & simplicissima S. scripturæ locutione, quod Deus sit vnus & tres 1. Ioh. V, 7. contentum esse, excipias. In sublimiori enim sparta constitutus est Theologus, utpote qui non tantum recte sentire, sed etiam, ut facilius aduersariis linguam occludat, bene & accurate loqui de Theologicis veritatibus, scire debet; maxime dum, qui noua verba fingit, eum non raro in ipsis doctrinis aliquid monstri alere, experientia docuit.

Deus est  
substantia.

§. LXXXIV. Deus, dum mundum creauit, conseruat, & ad actiones creaturarum concurrat (§. 23. 24. 25.), quæ extra dubium actiones sunt, non potest non esse ens, facultate agendi præditum. Nam ab actione ad possibilitatem seu facultatem agendi V. C. Pariter dum Deus est ens a se (§. 16.), adeoque existeret, etiamsi nullum aliud adesset ens, non est in alio, tanquam in subiecto. *Pro prima igitur & secunda definitione Deus est substantia.* Quod ad vltimam definitionem substantiæ attinet, Deus est



est quidem propter æternitatem (§. 18.) subiectum perdurabile, sed proprie non modificabile, quia enti infinito, quale Deus est (§. 17.), nulli modi insunt (v. WOLFF. Ontol. Lat. §. 840.). Attamen quia analogia modorum in eum cadunt, *per eminentiam substantia dici potest* (v. ib. §. 847.).

Scholion. Nempe *per eminentiam esse* dicitur ens, quod proprie loquendo non est, ubi tamen quid habet in se, quod vicem eius supplet, quod proprie eidem tribui repugnat. Hinc per eminentiam modificabile dicitur ens, quod proprios modos vel accidentia habere nequit, sed loco eorum habet analogia modorum. Substantia autem per eminentiam est subiectum perdurabile & per eminentiam modificabile.

Declaratio  
vberior.

§. LXXXV. *Substantia*, quæ pluribus potest competere e. g. homo, mensa, dicitur *communicabilis*; quæ non, *incommunicabilis* e. g. Socrates. Cum igitur pater æque ac filius & spiritus S. sint verus Deus (§. 30. 34. 47.), *Deus est substantia* (§. 84.) pluribus competens, & hinc *communicabilis*.

Deus est  
substantia  
communi-  
cabilis.

§. LXXXVI. *Substantia singularis* dicitur substantia omnimode determinata. Cum autem omne ens existens omnimode determinatum sit; siquidem quidquid de eo cogitari potest, aut ei competit, aut non (§. 1.); sequitur, omnem substantiam existentem esse substantiam singularem. *Deus igitur est substantia singularis* (§. 16. 84.).

Et singu-  
laris.

Scholion. Equidem cum alias omnis substantia singularis sit incommunicabilis, assertum præsens præcedenti §. 85. contradicere videtur. Ast per diuersum respectum apparet contradictio tollitur. Deus enim dicitur substantia singularis, quatenus omnimode iam determinatus est, ad quod hoc etiam pertinet, quod sit Pater, Filius Spiritusque S.; communicabilis autem substantia dicitur, quatenus abstractiue ab eo, quod Pater, Filius Spiritusque S. sit, consideratur, sed his tribus essentia diuina communis esse debet.

Remo-  
uetur da-  
bium.

§. LXXXVII. *Substantia*, quæ ex natura sua ordinatur, ad constituendum cum altero tertium, dicitur *incompleta* e. g. caput, anima hominis; quæ non, *completa*. Tunc autem ens ex natura sua ad id ordinari dicitur, quando eo sine producitur, vt cum altero constituat tertium. *Deus est substantia* (§. 84.), quæ est a se  
CARPOV. de Trinitate. L ( §. 16. ),

Deus est  
substantia  
completa.



(§. 16.), adeoque non eo fine producitur, vt cum altero tertium constituat, nec ad illud ex natura sua ordinatur. *E. Deus est substantia completa.*

Sed non  
suppositum.

§. LXXXVIII. Substantia singularis, completa & incommunicabilis dicitur *suppositum*. Abstractum autem suppositi h. e. suppositalitas, siue *subsistentia* seu ὑπόστασις est modus existendi substantialiter, indiuidualiter, complete & incommunicabiliter, vel est modus existendi, quo substantia singularis existit complete & incommunicabiliter. Sæpe etiam ὑπόστασις sumitur concretive pro ipso supposito. *Essentia igitur diuina*, licet sit substantia singularis (§. 86.), & completa (§. 87.), tamen, quia incommunicabilis non est (§. 85.), *non est suppositum*.

Euoluitur  
notio sup-  
positi.

Scholion 1. Suppositum a subtus pono vel suppono dicitur forte ideo, quod suppositum, vt substantia singularis, supponatur in formandis notionibus substantiarum vniuersalium. Dum autem suppositum definimus per substantiam singularem, completam, incommunicabilem, probe notandum est, omnes hos characteres coniunctim sumptos ad suppositum pertinere ita, vt si vel vnus desit, ens illud suppositum dici nequeat. Nam de quocunque definitio suppositi nequit prædicari, illud nec ipsum suppositum dici potest. Equidem FRANG. ALB. AEPINO in *Introduct. in Phil. Met. P. I. c. 3. §. 5. p. 31.* displicet hæc definitio ideo, quod, si suppositum dicatur substantia, assertis tribus in diuinitate suppositis, tres substantiæ etiam essent asserendæ; vnde matuit illud definire per ens singulare, essentiam & subsistentiam peculiarem habens. At vanus ille timor est, dum qui ex Trinitate suppositorum in Deo tres substantias inferre vellet, eo ipso, se arduum hocce dogma non intelligere, proderet. Vna enim numero substantia omnibus tribus suppositis est communis.

An Deus  
ex parte sit  
suppositum?

Schol. 2. Ridicule autem CAIETANVS asseruit, *Deum ex parte esse suppositum & personam*, quatenus est substantia singularis & completa, adeoque quædam suppositi & personæ requisita habet. Quod perinde est, ac si dicas: canem ex parte hominem, & hominem ex parte Deum esse, quia canis habet quædam requisita, quæ in homine, & homo quædam, quæ in Deo deprehenduntur. Sed inconuenientissimi sunt hi loquendi modi. Nam dum definitio & definitum sibi æquipollent, de quo definitio dici nequit, de eo nec dici potest definitum. Iam vero necessarium suppositi requisitum, puta incommunicabilitas, in Deum non cadit



cadit (§. 85.); unde nec, quod sit suppositum, potest recte dici. Iam FONSECA ex hoc capite refutavit CAIETANVM L. 5. Met. c. 8. qu. 5. f. 3.

§. LXXXIX. Ens, quod possibile sibi distincte repræsentare potest, dicitur *intelligens*. Suppositum autem intelligens dicitur *persona*, sc. quando vox persona concretive sumitur; qua ratione & substantiam, quod est materiale eius, & subsistentiam cum intellectu, quod est formale eius, includit. Persona autem abstractivè sumpta, h. e. personalitas, est substantiæ intelligentis subsistentia. Notio, quam Aug. Conf. art. 1. de persona suppediat, dum personam *quod proprie subsistit* vocat, qua rem a nostra, eaque recepta, non differt, dum intellectus ibi supponitur. Cum autem *essentia diuina* suppositum non sit (§. 88.), *nec est persona*.

Deus non est vnica persona.

Schol. 1. Deum personam non esse, notandum est contra Socinianos, qui Deum vnica personam esse contendunt, sed impingunt contra præcedentia, dum Deum habent pro vnico supposito, quod non est (§. 88.).

Quod contra Socinianos.

Schol. 2. Ceterum negandum non est, vocem personæ alias admittere apud Latinos significationes, dum v. g. denotat qualitatem, officium, conditionem vel habitum, qui vero significatus, data definitione distincta, h. l. per se corruunt. Non autem negandum est, variam huius vocis acceptionem temporibus pristinis variis disceptationibus ansam dedisse, dum orientales & in illis Meletius suspicabantur, ab ecclesia latina tres personas dici trinitatis non hoc sensu, quod tria in Deo distincta essent supposita, sed hoc, quod vnum suppositum Deus, pro diuersa temporum ratione, tres velut habitus vel officia induerit; prouti Sabellius quoque hoc sensu Deum vnum *ἰπνοσάδες*, personis trinum esse dicebat; a qua sententia tamen ecclesia latina erat maxime aliena.

Equiuocatio vocis personæ.

§. XC. Deus est substantia (§. 84.). Sed pater est verus Deus (§. 30.), vt & filius (§. 34.) sanctusque spiritus (§. 47.). Est igitur pater substantia, vt & filius, sanctusque spiritus. Pater igitur omnis substantia existens est substantia singularis (§. 86.). Cum igitur pater æque existat, ac filius sanctusque spiritus; sunt enim verus Deus existens (§§. cit. & 16.): *Pater est substantia singularis, vt & filius sanctusque spiritus*. Porro pater est substantia completa, dum essentiam diuinam habet a se (§. 74.),

Pater habet requisita suppositi, vt & F. & sp. §.





74.), adeoque non producitur, ad constituendum cum altero tertium (§. 87.): & pariter filius quidem a patre generatur, & spiritus S. a patre filioque spiratur, sed non eo fine, ut filius cum patre sanctoque spiritu & spiritus S. cum patre filioque totum Deum constituent, sed absolute necessario (§. 57. 67.), quæ necessitas absoluta excludit finem; unde *Filius etiam est substantia completa, ut & spiritus S.* (§. 87.). Denique pater, tanquam generans & spirans, realiter differt a filio generato & spiritu S. spirato; filius, ut generatus & spirans, realiter differt a patre generante & spiritu S. spirato; spiritus S., ut spiratus, a spirante patre filioque (§. 77.). Unde pater non potest competere filio, nec spiritui S., nec filius patri spirituique S., nec spiritus S. patri filioque & hinc *pater æque incommunicabilis est reliquis, ac filius & spiritus S.* (§. 85.).

**Monitum.** Scholion. Dum patrem dicimus esse substantiam, ut & filium, spiritumque S., facile patet, non tamen tres substantias asseri, pariter ac non asseruntur tres Dii, licet quilibet illorum verus dicatur Deus, eadem enim substantia diuina, sed sub relationibus diuersis, omnibus tribus competit. Et quando, patrem filio spirituique S. incommunicabilem esse, asserimus, non contradicimus superioribus, ubi patrem cum filio spirituque S. essentiam diuinam communicare, demonstrauimus (§. 56. 65.). Nam distinguendum est inter communicationem essentiae diuinæ, quam supra asseruimus, & paternitatis, quam negamus (§. 56. Sch. 3.).

**P. F. & sp. S. sunt tria supposita.** §. XCI. Pater est substantia singularis completa, incommunicabilis, ut & filius, sanctusque spiritus (§. 90.). Hinc *pater est suppositum, ut & filius, & spiritus S.* (§. 88.).

**Et hypostatiales.** Scholion 1. Dum tria in Deo sunt supposita, tres etiam in Deo *ὑποστάσεις* vel tria *ὑφιστάμενα* sunt admittenda; prouti notanter Paulus Hebr. I, 3. Patri tribuit *ὑπόστασιν*, dum, quod filius sit *χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως τῆ πατρὸς*, asserit.

**Quæ vox non ex philosophia Platonica.** Schol. 2. Sunt equidem, qui vocem *ὑπόστασις* ex philosophia Platonica arcessunt, primos philosophiæ Platoniciæ asseclas post Christum natum cepisse dicere: esse varias diuinas *ὑποστάσεις*, asserentes. Vid. PLOTIN, Ennead. V. L. I. VELTEM, Instit. Metaph. p. 1769. DONAT. Metaph. vsual. p. 243. At vero dum ipse Ep. ad Hebræos auctor iam Patri hypostatiam



stasin tribuit (per Schol. 1.), quem Philosophiæ Platoniciæ asseclam fuisse, non probabitur, dum ipsum Apostolum Paulum illum fuisse, a veritate non alienum est, pluribusque, si huius loci esset, posset probari, diuini spiritus inspirationi potius, quam philosophiæ Platoniciæ reliquiis, ille loquendi mos est tribuendus.

Schol. 3. Magis autem est dolendum, variam vocis ὑπόστασις acceptionem maximas olim in ecclesia contentiones excitasse. Ne enim dicam, vocabulum ὑπόστασις iam pro insidiis, iam pro eo, quod ferius in vase subsidet e. g. pro fece vini, iam pro rei alicuius productione, iam pro existentia accipi, non insolitum olim fuit, ut in diuinitate iam pro essentia, iam pro supposito acciperetur. Vnde ortum est, ut iam tres, iam vnam in Deo ὑπόστασις esse, diceretur. Namque Paulini sectatores, vnam in Deo profitebantur ὑπόστασις, ὑπόστασις accipientes pro ὑσία & hinc eos, qui cum Meleto erant, & tres in Deo ὑπόστασις statuebant, Arianismi accusabant, quasi cum Ario, qui filii essentiam ab essentia patris separatam defendit, patris, filii & spiritus S. tres distinctas & separatas essentias docerent. E contrario doctores, qui tres in Deo ὑπόστασις docebant, hypostasi sumpta pro supposito, vel substantia, eos, qui vnam tantum in Deo hypostasin admittebant, accusabant Sabellianismi, quasi cum Sabellio vnum tantum in Deo suppositum, quod diuersos habitus induerit, credant, ut adeo, miro exemplo, & asserentes & negantes tres in Deo hypostases, pro heterodoxis haberentur. Et licet in Synodo Alexandrina, postquam vtraque pars mentem suam explicauerat ita, uti veritati est conueniens, constituèretur, ut vtraque pars suo licite vteretur loquendi modo, & vel tres in Deo hypostases doceret, vel vnam, prout vox illa in hoc vel isto acciperetur sensu, non tamen motus illi compositi fuerunt, donec tandem mos inualesceret, ut ὑσία & ὑπόστασις distinguerentur, & tres in Deo hypostases docerentur.

Scholion 4. Et sane si dicendum, quod res est, stylo scripturæ S. est conuenientius, ut tres in Deo ὑπόστασις asserantur. Nam Hebr. I, 3. filius Dei dicitur *καρὰ τῆς ὑπόστασις τῆ πατρὸς*. Hinc per hypostasin patris aut essentia patris, aut suppositum vel substantia patris debet intelligi. Sed essentia patris nequit intelligi. Nam dum essentia diuina omnibus tribus diuinitatis personis communis est ita, ut essentia patris sit etiam ipsius filii essentia (§. 55.), sequitur, quod, si filius est character essentiæ Patris, debeat etiam esse character suæ ipsius essentiæ diuinæ; id quod sensum minus planum fundit. E contrario si ὑπόστασις



accipiatur pro supposito vel substantia, sensus hic erit, quod, uti filius est ἀνάλογα τῆς δόξης τῆ πατρὸς, h. e. uti iisdem fulget perfectionibus diuinis infinitis cum patre, ut adeo qui filium videt, ipsum videat patrem Ioh. XIV, 9. ( siquidem δόξα τῆ θεῶ denotat complexum perfectionum diuinarum ): ita etiam filius sit character substantiæ Patris, h. e. ille, ex quo cognosci potest, quod pater in diuinitate sit: etenim ubi est filius, ibi necessario est etiam pater. Iam si patri stylo Scripturæ S. tribuitur hypostasis, sed filius & spiritus S. pariter requisita habent suppositi (§. 91.), his pariter substantiæ erunt tribuendæ; vnde tres in diuinitate substantiæ oriuntur. Hinc significatus substantiæ de voce ὑπόστασις utique debet præferri.

**Deus personis trinus.** §. XCII. Deo competit intellectus (§. 18.). Hinc patri, filio spirituique S. intellectus debet competere (§. 30. 34. 47.). Cum igitur pater sit suppositum intelligens, ut & filius & spiritus S. (§. 91.), pater est persona, ut & filius & spiritus S. (§. 89.); quamuis, cum alias, personis multiplicatis, essentialium numerus multiplicari soleat, hic in Diuinitate eadem numero essentia diuina maneat omnibus tribus personis communis (§. 55.). Est igitur Deus uti essentia vnus (§. 55.), ita personis trinus.

An tres personæ diuinæ sint tres ad creaturas relationes?

Schol. 1. Patet simul ex superioribus, errare, qui personas in diuinitate habent tantum pro diuersis ad creaturas relationibus. Nam pater h. l. dicitur pater non in relatione ad creaturas, sed ad filium, & filius filius dicitur non in relatione ad creaturas, sed ad patrem, & pariter spiritus S. dicitur spiritus in relatione ad spirantes, patrem & filium (§. 56. 66.). Dico h. l. Nam alio respectu Deus pater etiam pater dicitur in respectu ad creaturas, sed ita paternitas non soli patri, sed omnibus diuinitatis personis competit, & pariter Filius Dei etiam in respectu ad Mariam, quæ creatura est, sed non qua diuinam, sed humanam naturam filius est dicendus.

Trinitas personarum ex Matth. XXIIIX, 19. asseritur.

Schol. 2. Eadem personarum in Deo Trinitas egregie elucet ex ipsa formula baptismali Matth. XXIIIX, 19, ubi Christus baptizare iubet in nomine patris, filii & spiritus S. Iam cum pater, in cuius nomine baptizare iubemur, sit persona, quod largiuntur Trinitatis hostes, quidni idem dicendum etiam de filio & spiritu S.? Fingamus, spiritum S. non esse nisi affectionem patris v. g. eius omniscientiam vel omnipotentiam. Annon ridicula esset locutio, si iuberemur baptizare in nomine patris, filii & omnipotentis patris? Annon, Patre nominato, ipsa etiam omnipotentia



tentia eius indicatur? Quis, vt bene annotauit cel. CANZ. de Ciuitate Dei p. 63. hanc locutionem feret, si facere quid iubemur in nomine Cæsaris Pompeii & sapientiæ Cæsareanæ? Non potest igitur non concedi, filium & spiritum S. pariter esse personas, ac patrem. vid. FAVSTI Dissert. de adorando Trin. mysterio ex Matth. XXIIIX, 19.

Schol. 3. Sunt autem personæ diuinitatis, vt loquuntur scholastici, compositæ ex essentia & relationibus. — Nempe dum essentia diuina numero eadem omnibus tribus diuinitatis personis competit (§. 55.), præterea vero quælibet persona habet peculiarem suam relationem ad aliam personam (Schol. 1.), hinc oritur, quod in qualibet diuinitatis persona duo debeant attendi: 1.) essentia diuina omnibus tribus communis, 2.) relatio cuiuslibet personæ propria. Sic in patre attendenda est essentia diuina & paternitas, in filio essentia diuina & filiatio, in spiritu S. essentia diuina & processio respectu spirantium. Et quia in qualibet persona hæc duo veniunt consideranda, quælibet persona composita dicitur esse ex essentia & relatione sua, non per compositionem physicam, vtpote qualis propter simplicitatem non cadit in Deum, sed analogice dictam i. e. quæ cum vera compositione aliquam habet similitudinem.

Schol. 4. Pariter notandum est, personas diuinas constitui & a se inuicem distingui proprietatibus non absolutis, sed respectiuis. Nempe proprietates absolutæ dicuntur, quæ ex essentia diuina resultant. Iam vero dum eadem numero essentia est patris, filii & S. spiritus (§. 55.), adeoque conueniunt in essentia, conuenire etiam debent in proprietatibus, ex essentia resultantibus. E. conueniunt etiam in proprietatibus absolutis. Nihil igitur est, quo personæ diuinæ a se inuicem differre possint, nisi proprietates relatiuæ, paternitas, filiatio, spiratio passiuæ. Sed in quocunque personæ diuinæ a se inuicem differunt, per illud etiam in esse suo, vt tales, constituuntur. Hinc per proprietates relatiuas in esse suo constituuntur. Scilicet Deus pater est pater, quatenus generat filium, filius est filius, quatenus a patre generatur, & spiritus S. est spiritus S. quatenus a patre filioque spiratur. Plura v. in BEGANI Theol. Schol. p. 261.

Schol. 5. Cum autem tres tantum sint diuinitatis personæ, hæcenus demonstratæ, patet inde stultum Medici Itali, Francisci Iosephi Borghii, somnium, dum Mariam quartam diuinitatis personam esse, arbitratus est. Quid enim magis est inconueniens, quam hominem peccaminosum quartam Diuinitatis sanctissimæ personam constituere, cui ipse Iohannes I. Joh. V, 7. non nisi tres assignat?

Schol.

Personæ  
diuinæ  
quomodo  
concipi-  
endæ?

Quomo-  
do a se in-  
uicem di-  
stinguan-  
tur?

An Maria  
quarta Di-  
uinitatis  
persona?



Quid vox  
*ὁμοῦσιος*  
denotet?

Schol. 6. Tres igitur sunt personæ, eadem numero essentia gaudentes (§. 55.). Hanc essentia unitatem Ecclesia Græca olim expressit voce *ὁμοῦσιος*. At uti vox *ὁμοῦσιος* ambiguitate sua olim laboravit (§. 91. Schol. 3.), idem sic de voce *ὁμοῦσιος* confitendum est. Patres enim Concilii Antiocheni, anno 266. congregati, filium Dei patri suo *ὁμοῦσιος* negarunt esse scil. eo sensu, quo Samosatenus filium patri *ὁμοῦσιος* dixerat esse i. e. specie tantum, non numero. E contrario patres Synodi Nicænæ filium patri dixerunt *ὁμοῦσιος* scil. & specie & numero. Vid. supra §. 55. sch. 4. Unde & negantes & affirmantes veritatem pronunciarunt, sed pro diversa vocis *ὁμοῦσιος* acceptione. Plura de hac voce vid. in M. RAV Tr. de voce *ὁμοῦσιος*.

Deus tri-  
nus perso-  
nalitati-  
bus.

§. XCIII. Alii, cum tres in essentia diuina personæ adseruntur, *vocem personæ abstractiue sumi*, adserunt ita, ut tres sint essentia diuinæ intelligentis & singularis subsistentiæ, h. e. modi existendi, quibus substantia singularis, sc. diuina, existat complete & incommunicabiliter (§. 88.). Et cum aliter essentiam diuinam intelligentem habeat pater (§. 74.), aliter filius (§. 56.), aliterque spiritus S. (§. 65. seq.), adeoque sint tres in Deo existendi modi, quibus essentia diuina complete & incommunicabiliter existit, h. e. subsistentiæ (§. 88.): possunt etiam in Deo tres personalitates siue personæ, voce abstractiue sumpta, adseri (§. 89.).

Monitum.

Schol. 1. Dum dico, *essentiam diuinam tribus modis incommunicabiliter existere*, intelligo essentiam diuinam non absolute spectatam, sed determinatam charactere hypostatico; ut iam notatum §. 90. Schol.

Demon-  
stratio 2-  
lia.

Schol. 2. Tres in essentia diuina personalitates dari, aliter etiam ex superioribus potest concipi. Quot sunt in essentia diuina personæ, tot debent esse personalitates. Nam posito concreto, necessario etiam ponitur abstractum, siquidem abstractum in concreto continetur. Abstractum enim solam rei affectionem denotat, sed concretum & affectionem & subiectum, cui illa inest. Hinc dum tres in essentia diuina personæ sunt, voce concretive sumpta (§. 92.), tres etiam personalitates in eadem esse debent.

Vnus in  
Deo intel-  
lectus est.

§. XCIV. Licet autem tres sint in Diuinitate personæ, vnus tamen tantum in Deo intellectus est. Cum enim intellectus ad essentiam diuinam pertineat, & ex illa resultet (§. 21. 22.), essentia autem diuina numero eadem sit omnibus tribus personis  
com-



communis (§ 55.), intellectus etiam idem numero omnibus erit tribus Diuinitatis personis communis. Et pariter se res habere debet cum reliquis attributis, ex essentia diuina resultantibus.

Schol. 1. Idem ex 1. Cor. II, 11. potest colligi, vbi, quæ in Deo sunt, solus spiritus Dei scire dicitur. Vnde sequitur, aut patrem filium, que eundem numero intellectum habere cum spiritu S., aut nescire, que in Deo sunt. Cum autem falsum sit posterius, quia filius est omniscius (§. 33.), & pariter pater, tanquam verus Deus (§. 30.), omniscius est (§. 18.): verum debet esse prius.

Consensus  
Scripturæ.

Scholion 2. At vero ex superioribus hic formari posse videtur dubium. Cum enim generatio filii inuoluat voluntatem, ex natura patris fluentem (§. 58.), & spiratio voluntatem, ex natura patris filique fluentem (§. 68.), voluntas autem ex intellectu eiusque deliberatione resultat: patri peculiaris adhuc intellectus, & iterum peculiaris patri filioque adscribendus videtur; vt adeo non maneat vnicus numero in Deo intellectus. At diuersa est ratio voluntatis liberæ & huius absolute necessariæ. Illa quidem rationem sui in intellectu habet non hæc præcise, siquidem abs. necessarium vltiore ratione sui non habet opus; eo ipso, quod in se non potest non esse. (§. 3. sch. 2.). Cum igitur generatio spiratioque sint absolutæ necessitatis (§. 57. 67.), non est, cur ideo peculiaris intellectus patri, & alius patri filioque tribuatur. Quodsi vero excipias: Pater generat filium aut sciens aut ignorans; sed non ignorans, quia alias non esset omniscius; E. sciens: concedo totum argumentum, sed non inde potest concludi, peculiarem Deo patri intellectum competere. Nam pariter potest concludi: Filius generatur a patre aut sciens aut ignorans. Sed non ignorans propter omniscientiam; E. sciens; & pariter filius a patre generatur, spiritu S. vel sciente vel ignorante. Sed non ignorante propter omniscientiam; E. sciente. Vnus igitur in Deo, hoc etiam respectu, manet intellectus, licet cum diuersa relatione; dum scilicet pater cognoscit, se generare filium, filius autem se generari, & pariter pater & filius se spirare spiritum S. cognoscunt, spiritus S. autem se spirari, cognoscit.

Remotio  
dubii.

Schol. 3. Cum igitur vnicus tantum in Deo sit intellectus (§. 94.), patet error Guilielmi Scherlokii, Angli, qui tres personas vocauit tres spiritus S. mentes infinitas, realiter a se distinctas, qui tres tamen mutua intima & vniuersali conscientia & communionem cogitandi sint vnus idemque Deus, de quo vid. GRAP, l. c. p. 128. Nempe, posita hac sententia

Error  
Scherlokii

CARPOV. de Trinitate.

M

tres



tres numero Dii & vnus tantum consensu esset, cuius opinionis error supra etiam a nobis est confutatus (§. 55. sch. 3.).

**Omnia attributa sunt numero eadem in P. F. & sp. S.** Schol. 4. Quod autem de intellectu Dei dictum, id de omnibus attributis Dei essentialibus etiam valere debet, scilicet vt eadem numero omnibus tribus diuinitatis personis sint communia. Hinc cum omniscientia, omniscientia, omnipotentia, bonitas, iustitia, voluntas essentialis sint attributa Dei, ex essentia eius resultantia (§. 22.), eadem numero omniscientia, omniscientia, cetera, est patris, filii spiritusque S. Vnde patet vltius, quidquid a Deo praestatur per attributa ipsius essentialia, id omne omnibus tribus etiam ex aequo competere vel esse indiuisum. Vnde ipse Christus omne, quod pater, scilicet per attributa essentialia, agit, filium etiam agere, testatur Ioh. V, 19. & mortuos pariter excitare, ac id facit pater.

**Quid, quoniam & quot actus personales?** §. XCV. Actio, per quam essentia diuina cum aliqua diuinitatis persona communicatur, dicitur *actus personalis*. *Generatio igitur actiua* (§. 56.), & *spiratio actiua sunt actus personales* (§. 66.). Et cum pater essentiam diuinam habeat a se (§. 74.), filius autem & spiritus S. per communicationem (§. 56. 65.), nec tamen sint plures Diuinitatis personae, quam tres (§. 92.): *actus personales sunt tantum duo*, scilicet iam dicti.

**Actus personales sunt actus per eminentiam.** Scholion. Actio est mutatio entis, quae rationem sui habet in ipso ente. Sic dum scribit Caius, quia antea non scribebat, adeoque a non scribendo transit ad scribendum, est mutatio Caii, quae rationem sui habet in ipsa voluntate & vi Caii. Hinc dum generatio filii Dei dicitur actus Dei patris, mutationem id videtur inferre, vt antea non generauit filium, iam autem generet. At vero actus per eminentiam talis ab actu communi probe est distinguendus. Actus per eminentiam talis proprie loquendo non est, sed loco eius, quod proprie debet esse, habet aliquid praestantius, quod vicem alterius supplet (§. 84. Schol.). Sic res se habet cum generatione patris & spiratione patris filiique. Nam dum generatio aequae ac spiratio est aeterna (§. 59. 69.), deest illa mutatio, vt a non-generando ad generandum & a non-spirando ad spirandum transitus esset factus, adeoque vtraque proprie non est actus pro definitione communi; sed loco eius adest aliquid praestantius, scilicet vt influxus generandi vel spirandi semper durauerit, adeoque proprie sunt actus per eminentiam; licet hoc non obstet, quin sint actus reales, dum oppositio relationalis & distinctio realis personarum inde oritur (§. 77. 92. Schol. 4.).

§. XCVI.



§. XCVI. Generatio est necessaria & æterna (§. 57. 59.), vt *Conuenientia & discrepantia illorum.*  
& spiratio (§. 67. 69.). Cum igitur nulli dentur actus personales, præter hos (§. 95.), *omnes actus personales sunt necessarii & æterni.*

Schol. 1. *In eo autem generatio & spiratio conueniunt, 1. quod vtraque sit actus diuinus, 2. isque necessarius (§. 57. 67.), & æternus (§. 59. 69.), 3. quod per vtramque personæ cuidam diuinitatis essentia diuina detur (§. 56. 65. seq.), 4. adeoque vtraque habeat terminum, intra diuinam essentiam productum. Differunt autem in eo, quod 1. generatio fiat a solo patre (§. 56.), spiratio a patre & filio (§. 65. seq.), i. e. in principio, 2. per generationem filius producat ( §. 56. ), per spirationem spiritus S. (§. 66.), i. e. termino producto, 3. a generatione filius dicatur filius (§. 56.), a spiratione autem spiritus S. spiritus (§. 66.), i. e. appellatione termini producti; 4. differunt relatione, inde resultante. Per generationem oritur relatio paternitatis & filiationis, per spirationem non, siquidem  $\alpha$ ) nusquam pater vel filius pater spiritus sancti, vel hic illorum filius dicitur;  $\beta$ ) alias Christus, qua diuinam naturam, haberet fratrem, adeoque non esset filius Dei vnigenitus Ioh. I, 14. III. 16.  $\gamma$ ) & alias Christus spiritus S. frater & pater dicendus esset, dum cum patre eum spirat (§. 65. seq.).  $\delta$ ) & alias spiritus S. esset filius duorum, quod inconueniens. Vt igitur aliæ adhuc differentię adsint, quas propter reuelationis silentium non assequimur, necesse est, vt sit cum patre ecclesię confitendum:*

*Digne loqui de personis, vim transcendit rationis,*

*Quid sit nasci, quid processus, me nescire sum professus.*

Schol. 2. Notari potest h. l. differentia actuum diuinorum in genere. *Actus Dei ad intra* dicuntur actus Dei, per quos persona quædam diuinitatis producit. *Actus ad extra*, per quos aliquid extra Deum vel a Deo diuersum producit e. g. creatio. *Actus immanentes Deo* sunt eiusmodi Dei actus, per quos aliquid in Deo, sed non diuinitatis persona, producit, qualis actus est decretum prædestinationis vel reprobationis. Cum autem actus personales sint tales actus, per quos essentia diuina cum aliqua diuinitatis persona communicatur, vel quod idem est, per quos producit quædam in Deo persona, actus personales sunt actus ad intra. Hinc generatio & spiratio sunt actus Dei ad intra, nec plures, quam hi duo, dantur (§. 95.). Dicuntur etiam actus ad intra *actus notio-*  
*nales*, quia faciunt ad vnã personam ab altera distinguendam.

M 2

§. XCVII.





Quid pro-  
prietas  
persona-  
lis?

§. XCVII. *Proprietates personales* in diuinitate sunt notæ characteristicae personarum, ex actibus personalibus resultantes. *Nota* autem *characteristica persona* dicitur, per quod vna persona ab altera differt.

Quanam  
sunt §

§. XCVIII. Paternitas patris ex actu personali patris, nempe generatione (§. 95.), resultat, (§. 56.), & per illam pater differt a filio & spiritu S., siquidem his illa non competit. *E. Paternitas est proprietas personalis patris* (§. 97.). Pariter filiatio filii ex generatione patris, quæ est actus personalis (§. 95.), resultat (§. 56.), & per illam filius a patre & sancto spiritu differt, quia his illa non competit (§. 74. 69.). *E. Filiatio est proprietas personalis filii* (§. 97.). Denique processio, stricte ita dicta, (nam latius generatio passiuua filii etiam dicitur processio vel exitus §. 56.), ex actu aliquo personali, sc. spiratione (§. 95.), resultat (§. 66.), & per illam spiritus S. differt a patre filioque, siquidem illa nec patri, qui est a se (§. 74.), nec filio, qui generatur (§. 56.), competit. *E. processio est proprietas personalis spiritus S.* (§. 97.).

Quot sint?

§. XCIX. Cum igitur quælibet persona suam habeat proprietatem personalem (§. 98.), *tot sunt proprietates personales, quot persone*, i. e. tres (§. 92.), paternitas, filiatio, processio.

Dicuntur  
etiam re-  
lationes.

Schol. 1. Hæ proprietates personales vocantur etiam *relationes*, quia paternitas infert relationem ad filium, filiatio ad patrem, processio ad eum, a quo fit. Sunt autem hæ relationes reales, non tantum per intellectus operationem. Nam dum pater distinguitur a filio realiter, & vterque a spiritu S. (§. 77.), hæ relationes etiam reales debent esse. Per ipsas enim has relationes a se inuicem distinguuntur. Tolle has relationes, tolles etiam discrimen personarum reale & nihil superest, nisi ipsa essentia diuina, in qua omnes tres sunt vnum (§. 55.).

Quæ di-  
stinguun-  
tur reali-  
ter.

Schol. 2. Ex eadem ratione data patet, quod illæ tres relationes distinguuntur etiam inter se realiter. Nam si personæ realiter sunt distinctæ (§. 77.), distinguuntur autem per relationes hæc, relationes etiam hæ debent realiter distinctæ esse.

Quid no-  
tiones per-  
sonales?

§. C. *Notiones personales* dicuntur notæ characteristicae personarum in diuinitate, ab actibus personalibus & proprietatibus personalibus diuersæ.

§. CI.



§. CI. Ἀναρχον εἶναι h. e. *omni sui principio carere*, est nota <sup>Quæ sint?</sup> característica patris, siquidem id soli patri, qui persona Diuinitatis est (§. 92.), competit (§. 74. 97.), nec tamen est actus personalis (§. 95.), nec proprietas personalis (§. 99.). E. est *notio personalis de patre* (§. 100.). Pariter *generatio passiva* est nota característica filii, tanquam personæ diuinitatis (§. 92.), siquidem ea nec patri, nec sancto spiritui competit (66. 74.) & hinc filius per illam a reliquis personis differt (§. 97.), nec tamen est actus personalis, nec proprietas personalis (§. 95. 99.) E. est *notio personalis de filio* (§. 100.). Denique *spiratio passiva* est nota característica spiritus S. tanquam personæ diuinæ (§. 92.), siquidem ea nec patri, nec filio, sed soli spiritui S. competit (§. 56. 66. 74. & 97.), nec tamen est actus personalis (§. 95.), nec proprietas personalis (§. 97.). E. est *notio personalis de spiritu S.* (§. 100.).

§. CII. Sunt igitur pro numero personarum trino *tres notiones personales*, τὸ ἀναρχον εἶναι, generatio passiva, spiratio passiva (§. 101.). <sup>Quot sint?</sup>

Schol. I. Solent alii duas notiones personales constituere, ἀγεννησίαν, & spirationem actiuam. Et potest quidem ἀγεννησία, si in latiori significato denotet, *nulla plane ratione nec per generationem, nec per processionem ab alio esse*, pro notione personali patris haberi, siquidem ita idem est, quod vocauimus τὸ ἀναρχον εἶναι; si autem in strictiori significato denotet tantum, *per generationem non esse ab alio*, non potest, quia ita spiritui S. etiam competit (§. 96.), & per notionem personalem tamen qualibet persona debet ab altera distingui posse (§. 97. 100.). Per spirationem actiuam autem non potest filius a patre distingui, quia utrique competit (§. 65. seq.); vnde minus commode pro notione personali habetur (§. 97. 100.). Cui accedit, quod, si spiratio actiua debet esse notio personalis, non appareat, cur nec generatio actiua pro illa habenda sit; quo facto, actiones & notiones personales non satis distinctæ videntur (§. 95.). v. b. BVDDVS in instit. Theol. Dogm. I. 2. c. 1. §. 52. \*\*\*. <sup>Sententia aliorum examinatur.</sup>

Schol. 2. Sumitur autem h. l. τὸ ἀναρχον εἶναι siue *omni sui principio carere*, non ratione temporis, quia hoc sensu etiam competit filio & spiritui S. propter æternitatem (§. 76.), sed pro definitione de principio supra data (§. 61.). <sup>Monitum.</sup>



Definiciones trium personarum.

§ CIII. Pater igitur est prima ratiōne ordinis diuinitatis persona (§. 76. 92.), essentiam diuinam habens a se (§. 74.), eamque communicans cum filio per generationem (§. 56.), cumque spiritu S. per spirationem (§. 66.). *Filius* est secunda ratiōne ordinis diuinitatis persona (§. 76. 92.), essentiam diuinam habens a patre (§. 56.), eamque vna cum patre communicans cum spiritu S. (§. 65.). *Spiritus S.* est tertia ratiōne ordinis diuinitatis persona (§. 76. 92.), essentiam diuinam habens a patre & filio (§. 65.).

Trinitas non cognoscitur ex ratiōne.

§. CIV. Quidquid de hac S. Trinitatis doctrina hactenus est dictum, ex euentissimis S. scripturæ assertis, ratiōnis principiis interdum in subsidium vocatis, est deriuatum. Et quia ratiōnis principia, ex quibus solis illam legitime & inconcusse deriuare queamus, nobis non suppetunt, neque experientia illam docet: omnis cognitio ratiōnis autem vel a posteriori ex experientia, vel a priori ex principiis, mediante demonstratione, debet cognosci: *Quod Trinitatem ex ratiōne cognoscere nequeamus, est confitendum*; pariter ac res se habet in diuinitate Christi Matth. XVI, 16. 17. Vnde ipse dicit Christus Matth. XI, 27. quod nemo cognoscat patrem nisi filius, & nemo filium, nisi pater & cui filius velit reuelare.

Trinitatem ex ratiōne ostendere voluit. s. Keckermann.

Schol. I. Quamuis autem hæc ita sese habeant, non tamen, qui ex solis ratiōnis principiis illam deriuare conati sunt, defuere. Ex quorum quidem numero sunt I. KECKERMANNVS, qui lib. I. Syst. Theol. c. 3. & 4. ex perfectissimo intellectu & voluntate illam deducturus, ita, vt copiose dicta in compendium mittam, ratiocinatus est: si Deus, vt perfectissimus intellectus, ab æterno se ipsum intelligit, & perfectissima voluntate se ipsum appetit ab æterno, sequitur, in intellectu Dei imaginem esse, ab æterno genitam, quæ est filius Dei, & impetu voluntatis perfectissimum amorem procedere ab æterno, qui est spiritus S. Sed verum est prius; E. & posterius. Verum quamuis antecedens in hoc ratiocinio admittatur, negatur tamen consequentia. Ne enim dicam, probatione indigere, quod Deus se ipsum per imaginem cognoscat, siquidem intuitiue potius sese cognoscere dicendus est, euidens est, secundum hoc argumentum plures, quam tres, diuinitatis personas esse statuendas. Namque si pa-



si pater, se ipsum cognoscendo, format sui imaginem, qui est filius, ipse Deus; sine dubio filius etiam, se ipsum cognoscendo, sui iterum format sibi imaginem, quæ sit filius filii, patrisque nepos, & hic eodem modo alium sibi filium producet, & sic porro. Pariter si Deus, se ipsum amando, producit spiritum S. qui est ille amor, ipse Deus; sequitur, spiritum S., se ipsum amando, vti tanquam verus Deus non potest non sese amare, aliam rursus Diuinitatis personam producere, & ita porro. Cum autem Deus trinus tantum in personis sit (§. 92.), non potest hæc probatio valere. 2. *DVRANDVS*, qui ex fecunditate essentia diuina personarum Trinitatem vult deducere. Quæ cur admitti nequeat sententia, supra (§. 58. Sch. 4.) iam est notatum. 3. *Alii*, a summa beatitudine Dei ad personarum Trinitatem concludentes, siquidem nullam beatitudinem, nisi in societate, obtineri posse, arbitrantur. At plane dispar est ratio Dei, & hominum. Homo, multarum perfectionum indigus, quas solus sibi præstare nequit, viuens in societate, maiorem, quam solus, perfectionem & beatitatem obtinere potest (v. ill. *WOLFFII* Polit. §. I. 213.). At Deus, tanquam ens infinitum, independens & æternum (§. 17. 18.), iam in quietissima perpetuaque omnium summarumque perfectionum possessione i. e. summe beatus est, vt adeo nulla indigeat ad beatitatem societate. Nec etiam si Deus societate ad beatitatem suam opus haberet numerus tamen personarum trinus inde elici posset. 4. *NIC. SMITERSVS*, Prof. Duisburg., qui in notis ad 7. meditationem, sex *CARTESII* meditationibus additam, p. 22. & pluralitatem & trinitatem personarum in Deo ex ratione deriuare studet, & pluralitatem quidem, dum his verbis concludit: *Omni existenti competit aliqua productio, actiua vel passua vel viraque, quod in omnibus deprehendere est. Talis ergo productio in Deo etiam poni debet, & quia actiua est perfectissima, Deo, qui ab æterno est, ab æterno etiam talis tribui debet; Illa autem in mundum terminari non potuit, cum ille æternus esse non possit, neque sit productio omnium perfectissima, qualis demum est, vbi eadem est producentis & producti essentia. Trinitatem autem vult ita ostendere: Cum in Deo productio sit perfectissima, datur in eo producere & produci simul. Hac autem est S. S. Trinitas, in qua pater producens est simpliciter, spiritus S. productus simpliciter, filius productus & producens simul. Ad quod autem non potest extendi, cum productio perfectissima ulterius extendi non possit. At precaria est hæc probatio. Fac enim, Deo ab æterno competere aliquam productionem actiuam, quod tamen secundum posita rationis principia adhuc in dubium vocari posset; an inde sequitur personarum Trinitas? Vbi est productio,*

ibi

2. Durandus.

3. Alii.

4. Smitersus.



ibi producat & productum, quod a producente realiter differt, requiritur; non vero opus est, ut tertium, quod simul producat & productum est, adsit. Sic duæ tantum, nec tres essent diuinitatis personæ. Deinde, si Deo productio actiua necessario competit, non apparet, cur spiritui S. qui etiam verus Deus est (§. 47.), non iterum productio actiua competat; & sic plures, quam tres, erunt Diuinitatis personæ. §. PE-

§. Poirer.

TRVS POIRETVS, qui in cogitat, rational. append. ad c. 8. l. 3. §. 5. seq. ex consideratione animæ humane Trinitatem cognosci posse, sibi persuadet.

Nam quemadmodum tria animæ tribuit, quæ vna sint anima, mentem esse, cognoscere, velle seu amare se: ita eadem tria in Deo esse, dicit, ut Deus sibi formet ideam seu imaginem sui aliquam h. e. filium, & in illum amore rapiatur. qui amor & tendentia in se ipsum sit spiritus S. At quamuis Deus se ipsum cognoscat & amet, negatur tamen, hoc idem cum Trinitate esse, quam supra demonstrauimus. Confer, quæ contra simile argumentum KECKERMANNI notata ad n. 1. 6. Denique huc pertinent, qui ideo, quod in scriptis gentilium vestigia quedam Trinitatis inuenire, sibi videntur, qualia loca collegit TOBIAS PFANNERVS in System.

6. Alfi.

Theol. gentil. pur. c. 3. §. 2. seqq., eam ex ratione patere, arbitrantur. Fac autem, in scriptis philosophorum gentilium eiusmodi loca, quæ Trinitatem sapiant, deprehendi, de quo tamen dubitat Auctor citatus l. c. §. 6., non sequitur inde, quod ex ratione hauserint; quin potius ex traditione & conuersatione cum ludæis illa edocti videntur. Ceterum quod S. S. Trinitas ex ratione cognosci queat, ex pontificiis, sed male, defenderunt etiam RAIMVNDVS LVLLVS de articulis fidei num. 7. RICHARDVS VICTORINVS l. 1. de Trinit. c. 4.

An Deum  
non Tri-  
num co-  
lens colat  
verum  
Deum?

Schol. 2. Iam quoque decidi potest quæstio: an ille verum Deum colat & agnoscat, qui eum colit, ut vnum tantum, non ut Trinum? Conceptus Trinitatis pertinet ad conceptum veri Dei secundum reuelationem, sed non secundum rationem (§. 104.). Hinc qui Deum colit secundum rationem tantum, ut vnum, sed non ut Trinum, verum tamen Deum colit scilicet eatenus, quatenus secundum rationem cognoscit. Quicquid enim non agnoscit, nec colere potest. Et licet secundum solam rationem sanam Trinitas non agnoscat, non tamen ideo negatur, adeoque non erratur in conceptu veri Dei. E contrario, qui Deum colere & agnoscere secundum reuelationem S. scripturæ sibi videtur, & negat tamen Trinitatem in eo, is fouet conceptum de Deo erroneum adeoque nec verum Deum colere dicendus est. Vnde Sociniani nec verum Deum colere, dicendi sunt.

§. CV.



§. CV. Quamvis autem ratio non doceat Trinitatem ( §. <sup>Similitu-  
dines Tri-  
nitatis.</sup> 104 ), variæ tamen sunt variorum similitudines, ex natura de-  
sumptæ, ad arduam illam doctrinam illustrandam adhibitæ, sed ad-  
modum caute tractandæ, ne ideas rerum corporearum rebus  
maxime incorporeis applicemus. Sic 1) LEONTIVS Episc. Cæ-  
sareæ Cappadociæ similitudinem capit *a mente hominis, verbo  
prolatitio*, quod ex mente oritur, & *halita*, qui ex homine pro-  
cedit, quæ tria non tamen aliena sunt ab ipso homine. Idem pro-  
uocat ad *ignem*, cuius vna est natura, & tamen tria adsunt di-  
stincta, *ignis, splendor, lumen* v. Gelas. Cyzicenus in Comment.  
Actor. Concil. Nicen. l. 2. c. 20. fin. infert. Concil. T. II. collect.  
Parif. 2) AVGVSTINVS de fid. & symb. c. 8. ad *fluvium* pro-  
uocat, vbi sunt tria distincta, *fons, procedens inde fluvius & potio*,  
quæ de fonte vel fluvio est, & in se tamen vna est aqua. 3) A-  
THANASIVS solem ante oculos ponit, quem intuens simul cer-  
nit splendorem inseparabilem & in utroque lucem. Quæ aliaque  
eiusmodi collegit PFANNERVS l. c. §. 5.

Schol. Attamen nec eiusmodi vtendum est similitudinibus, quæ <sup>Monitum</sup>  
arduam hanc doctrinam obscurent magis, quam illustrent. Vnde simi-  
le IAC. BOEHMII in der Morgenröthe it. im Theosophischen Sendschreiben,  
quo Deum patrem cum hoc vniuerso, virtutemque eius paternam cum  
stella in extrema sphaera, filium cum sole in medio huius vniuersi ex om-  
nium stellarum virtutibus orto, spiritum S. autem cum splendore, qui  
a stellis versus solem, & a sole versus stellas exit, comparauit, non ma-  
le & tanquam *ἀγχαρον* & præcipue tanquam obscurissimum reiecit  
HENR. IOH. ELEBRECHT in exercitationibus Theol. Exerc. V. §. 19. Qui-  
bus addi potest, quod in ipso simili sit falsum, scilicet solem ex omnium  
stellarum virtutibus ortum esse, vtpote quod principiis astronomicis  
non est conforme.

§. CVI. *Veritas*, cuius existentiam ex ratione non cognosci-  
mus, dicitur *supra rationem*. Veritates igitur supra rationem ex <sup>Trinitas  
supra, sed  
non con-  
tra ratio-  
nem est.</sup>  
reuelatione discendæ sunt. Est autem *doctrina de S. S. Trinita-  
te veritas supra rationem* ( §. 104. ), *sed non contra illam*. Et si  
quis est, qui illam pugnae contra rationem & hinc falsitatis argue-  
re, non dubitet, iure ab illo postulamus, vt, *eandem veritatibus*  
CARPOV. de Trinitate. N ratio-



*rationis absolute necessariis*, quæ nullo modo aliter esse possunt, *evidenter repugnare*, demonstret. Nam quia veritates rationis contingentes possunt esse aliter, eo ipso, quod contingentes sunt, possunt etiam in rebus diuinis esse aliter, adeoque veritas harum rerum non tollitur, etiam si illis contradicere videantur; pariter ac verum est, Christum natum esse sine femine virili Luc. I, 34. 35. licet, non sine coitu hominem concipi & nasci, sit veritas rationis contingens. Nec est, cur dicas, absolute repugnare, *ut tres vnum, & vnum tres sint*. Nam tres vnum, vnumque tres esse, asserimus, non eodem respectu, sed diuerso; siquidem non defendimus vnum tantum & tres Deos, sed vnum essentia Deum, trinum autem in illo subsistendi modum vel tres personas (§. 92. 93.).

**Monitum.** Scholion. Equidem distinctionem inter id, quod supra & quod contra rationem est, impugnavit & reiecit BAILIVS, cui autem satisfactum esse arbitror ab ill. LEIBNITIO in Discursa Prælim. ad Theod. Addatur MAICHEL in Diss. de eo, quod supra & contra rationem est.

**Trinitas est mysterium.** §. CVII. Trinitas in Deo est veritas supra rationem (§. 106.), quam ex reuelatione cognoscimus (§. 104.), sed ita, ut modus possibilitatis nos in multis fugiat. Quis enim, ne de aliis dicam, explicabit perfecte, quomodo id fiat, ut pater eandem numero essentiam diuinam largiatur filio & vterque spiritui S.? Quis est, qui differentiam generationis & spirationis & vtriusque rationem formalem perfecte delineet? Scimus rem, rei modum ignoramus. Sed veritas supra rationem, cuius possibilitatis modum ignoramus, dicitur *mysterium*. Est igitur Trinitas in Deo *mysterium*, idque tantum, ut elinguatos in casu necessitatis Deus interdum adhibuerit, ad illud prædicandum, prouti ostendit b. IO. ANDR. SCHMIDIVS in Diss. de elinguatis, *mysterium Trinitatis prædicantibus*, rec. Helmst. 1726.

**Monitum.** Scholion. Cel. CANZ. in vsu Philos. WOLF. P. 2. p. 255. seq. SS. Trinitatem etiam *mysterium* dicit esse, quatenus rationem obiectiuam, cur essentia diuina tribus personis terminetur, nec pluribus nec paucioribus, ignoremus. At vero ex absoluta necessitate ratio videtur rependa.



tenda. Nam dum pater filium generat & pater cum filio spiritum Sancti spirat absolute necessario (§. 57. 67.), ipsa necessitas absoluta debet esse ratio sufficiens, cur essentia diuina terminetur tribus, nec paucioribus personis. Et pariter impossibile debet esse, ut plures in Deitate personæ deprehendantur; ut adeo ratio, cur plures non adsint personæ, etiam debet in absoluta latere necessitate. Rationem autem absolutæ huius necessitatis vltiorem qui inuestigare vellet, non intelligeret absolutæ necessitatis veram conditionem, dum quidquid absolute est necessarium, vltiorem sui rationem non agnoscit, sed rationem sui habet in se ipso (§. 3. Sch. 2.).

§. CVIII. Multa in rerum natura exempla occurrunt, vbi existentiam rei, ex sensuum testimonio oppido veram, non possumus non admittere, modo licet rei ignorato. Quanto igitur magis peccant, qui Dei veracissimi in S. scriptura effatis de Trinitate fidem adhibere, eiusque existentiam admittere, ideo recusant, quod modum possibilitatis eius non capiunt perfecte?

Schol. Dicam explicatius, quod sentio. *In Mysterio tria probe sunt discernenda, 1. probatio existentia eius, 2. comprehensio modi possibilitatis, 3. obiectionum refutatio.* Probatio, non quidem ex ratione, siquidem mysterium supra rationem est positum (§. 107.), sed ex reuelatione, rationis principiis in subsidium, vbi opus, vocatis, desumpta, ad conuictionem est necessaria, ne lubrico, sed firmo fides nostra nitatur fundamento. Mysteriis enim sine probatione solida confictis, in quamuis præcipites dabimur errorum lernam. *Quod ad alterum, aliqua quidem vocum explicatio est danda, ne, quod creditur, sine mente soni sint & ignores, quid credas; sed plena & adæquata explicatio modi possibilitatis repugnat notioni mysterii (§. 107.), nec opus est ad conuictionem, nec defectus eius tollit rei veritatem.* Bene hanc in rem Ill. LEIBNITIVS in Discurs. prælim. ad Theod. §. 56: *Il en est, inquit, de même des autres mysteres, où les esprits moderés trouueront toujours vne explication suffisante pour croire, & i'amaïs autant qu'il en faut pour comprendre. Il nous suffit un certain ce que c'est (τι ἐστὶ), mais le comment (πῶς) nous passe, & ne nous est point nécessaire. &c. h. e. Pariter se res habet in aliis mysteriis, vbi ingenia moderata semper inuenient explicationem ad credendum sufficientem, sed nunquam tantum, quantum ad comprehensionem est opus. Sufficit nobis, ut sciamus, quid sit, sed quomodo sit, nos excedit, nec nobis est necessarium. Obiectionum autem refutatione eatenus est opus, ut ostendatur,*

Sed non  
ideo ne-  
ganda.

Generalia  
de myste-  
riis.





datur, mysterium non repugnare veritatibus rationis absolute necessariis. Bene enim iam obseruauit iterum LEIBNITIVS l. c. §. 63. *mysteria rationi conformia esse*, non isto sensu, quod ex ratione possint demonstrari, siquidem transgrediuntur rationis cancellos, sed hoc, quod non possit dari vera repugnantia inter mysteria & veritates rationis (cf. §. 106.). Teste enim eodem l. c. §. 61. *Ce qui en nous est contraire aux mysteres, n'est pas la raison, ni la lumiere naturelle, ni l'enchainement des verités, c'est corruption, c'est erreur ou préjugé, c'est tenebres. h. e. Id quod in nobis mysteriis aduersatur, non est ratio, nec lumen natura, nec nexus veritatum, sed corruptio, error, præiudicium, tenebra.* Hæc si cum superioribus & sequentibus comparentur, in nostro mysterio, quæ facienda fuerunt, me effecisse, arbitror.

CAPVT IV.  
ERRORES IN MYSTERIO S. S. TRINITATIS INDICANS.

§. CIX.

Classes ad-  
necessario-  
rum.

Veritate legitime demonstrata, non opus est copiosa errorum refutatione. Hinc dum & ratio præsentis instituti & loci huius angustia non patiuntur, vt de erroribus, veritati hæctenus demonstratae oppositis, pro rei grauitate copiosius agatur, paucis tantum summa errorum capita, locaque demonstrationis, illis opposita, tangere constitui. Vti autem tota de Trinitate doctrina ad tria potissimum capita redit, supra (§. 79.) enarrata: ita errores potiores, in ardua hac doctrina commissi, b. IO. GVIL. BAIERO in Compend. Theol. Hist. loc. 2. præeunte, commode ad tres classes reduci possunt, dum alii *Diuinitatem filii, vel spiritus S. vel veriusque*, alii *realem personarum distinctionem*, alii *vnitatem Dei* negarunt.

Diuinitatem filii  
negantes.

§. CX. Ad primam classem pertinent 1. CERINTHVS, Christum merum hominem esse, contendens contra id, quod supra (§. 34. 42.) demonstratum, sed ab ipso IOANNE Apostolo in euangelio suo confutatus, teste HIERONYMO in catal. scriptor. Eccles. 2. CARPOCRATES, THEODOTVS Byzantinus &



& ARTEMO, Christum pro nudo carnali modo genito homine habentes contra §. 34. 42. & Luc. I, 35, quibus sese opposuerunt IRENÆVS & TERTVLLIANVS. 3. PAVLLVS SAMOSATENVS, qui, prouti sententiam eius ex patrum monumentis egregie eruit Vir S. R. & celeberrimus IO. GEORG. WALCHIVS in diss. de Samosatenianis Neotericis §. 3. 4, λόγον inexistere in ipso Deo, nec aliud quid esse, quam illius intellectum, aut cogitationem & sapientiam, Christum autem merum hominem, licet sapientia diuina ornatum, esse, docuit contra §. 34. 42. 36. n. 1., sed in synodo Antiochena damnatus est. 4. Pestis Ecclesiæ nocentissima, ARIVS, qui filium Dei non ex essentia Dei patris genitum, sed ex nihilo ante sæcula creatum, professus contra §. 34. 36. 56. & in concilio Nicæno, ATHANASIO præsertim veritatem defendente, damnatus est, attamen nihilominus deinde virum suum tam late spargere, non destitit, vt totus orbis ingemuerit, & Arianum se esse miratus sit, teste HIERON. in dial. adu. Lucif. c. 7. 5. SEMIARIANI, qui filium ex patris essentia productum, minorem tamen eo, statuerunt contra §. 76. vt alios silentio inuoluam.

Schol. Obiectiones Arianorum contra diuinitatem filii & eius ex essentia patris generationem partim supra (ad §. 59. Schol. 4.) sunt soluta, partim soluuntur ad §. 112. Monitum,

§. CXI. Nec minus in hunc censum referri debent, qui in Diuinitatem veram spiritus S. sunt iniuri. Quorum quidem antesignanus fuit MACEDONIVS, filium esse Deum, & cum omnibus rebus, tum substantia patri similem, spiritum S. autem non eiusdem cum patre & filio honoris participem, sed ministrum & famulum esse, eademque de illo, quæ de angelis, dici posse, asserens contra §. 54. docensque, spiritus S. voce in S. scriptura significari illos motus, quos Deus excitat & creat in conuersis, sed in concilio CPtano, eoque oecumenico secundo, damnatus. Diuinitatem spir. S. negantes.

Schol. Varias obiectiones contra diuinitatem spiritus S. in medium protulerunt Pneumatomachi, quas breuibus tangere iuuat. Dubia contra Diuinitatem spir. S. soluta. Opponunt

1.) Ioh. I, 3. *Omnia per ipsum scil. filium facta sunt; E. spiritus S. etiam per*



*per filium est factus, E. est creatura, E. non est Deus.* Sed contra sensum Apostoli locum citatum extendunt. Id enim vult, omnia, quæ facta sunt, facta esse per verbum. Vnde addit: Et sine illo nihil est factum, quod est factum. Sed ita si intelligatur recte, non potest concludi: E. spiritus S. etiam est factus a filio. Nam non est ex numero eorum, quæ sunt facta. Quod si vero nolint restrictionem agnoscere maioris, eadem etiam ratione posset inde concludi, quod pater etiam factus sit a filio, quod est tamen falsissimum, nec ipsi volunt aduersarii. 2. *spiritus S. omnia scrutatur 1. Cor. II, 20. E. querit E. dubitat E. ignorat E. non est Deus.* Sed tantum abest, vt ex h. l. aliquid contra diuinitatem spiritus S. sequatur, vt potius inde omniscientia eius possit demonstrari (§ 46.). 3. *spiritus Prophetarum Prophetis subiectus 1. Cor. XIV, 32. Sed spiritus Prophetarum est spiritus S. E. spiritus S. est Prophetis subiectus E. non est Deus.* Sed distinguendum est inter spiritum Prophetarum diuinum & humanum; vt sensus sit: spiritum Prophetarum humanum esse subiectum Prophetis, vt talibus i. e. quatenus afflatu & spiritu diuino impelluntur. Exemplo Bileami res potest illustrari. Huius spiritus humanus auaritia impellebatur, ad populo Israelitico maledicendum, sed subiicere eum debebat spiritui diuino, ex eo, quatenus propheta erat, loquenti, vt non posset aliter loqui, quam Deus ei suggerebat Num. XXII, 38. Nihil hinc igitur sequitur contra spiritus S. diuinitatem. 4. *Rom. IIX, 26. spiritus S. intercedit pro nobis gemitibus ineffabilibus; E. non est Deus. Respondeo. Negatur Maior. Nam etiam filius Dei pro nobis intercedit apud patrem Rom. IIX, 34. & tamen Deus est, quod ipsi concedunt aduersarii.*

Diuinitatem filii & spir S. negantes.

§. CXII. *Diuinitatem filii & spiritus S. negauit PHOTINVS,* qui, Christum in Maria demum initium cepisse merumque hominem esse, docuit contra §. 34. 36.; neque propriam spiritui S. concessit hypostasim, quem Dei virtutem vel operationem vocare maluit contra §. 47. 92., sed in variis synodis est reiectus. Denique, ne de MICH. SERVETO, quem per Samosatēnianos neotericos in art. 1. A. C. intelligi, demonstrauit Vir. S. R. WALCHIVS in diss. cit., VALENTINO GENTILI aliisque dicam, veterem Photini ex ore errorem in lucem reduxerunt LÆLIVS & FAVSTVS SOCINI, & infelices eorundem asseclæ. Docent enim, in Dei essentia vnā tantum personam, sc. Patrem, contra §. 89.,



§. 89., *Christum autem non, nisi hominem, ex Maria natum, nec ante Mariam existentem esse, licet diuina auctoritate donisque pollentem; Spiritum S. autem non esse, nisi virtutem diuinam contra §. 34. 36. 47. 92.*

Schol. I. Horum hominum, quia per Poloniam, & Transyluaniam late adhuc serpunt, vt obiectiones curatius paullo, licet breuissimis, perpendamus, operæ est pretium. *Contra diuinitatem Christi essentialem opponunt*

Solutio dubiorum contra diuinitatem filii.

1. *Quicumque a Deo in mundum missus est, ille non est ipse Deus. Missio enim inuoluit inferioritatem, quia æqualis ab æquali non potest mitti. Sed Christus a Deo in hunc mundum est missus Ioh. IV, 34. E. Resp. a) Missio non semper inuoluit inferioritatem, quia æqualis etiam ab æquali mitti potest per consilium & consensum Act. IX, 14. β) Fac, quod inferioritatem inuoluat, id quod tamen negamus, de humana Christi natura posset intelligi, ex quo ad negationem diuinæ naturæ N. V. C. pariter ac Christus a patre mandata accepisse legitur Ioh. X, 18. quod etiam de humana eius natura intelligendum.*

2. *Quisquis ad summum Deum preces fundit, is non est ipse Deus. Christus &c. Matth. XXVI, 39. Ioh. XVII, 1. seqq. E. Resp. Quisquis ad summum Deum preces fundit, is, quatenus id facit, non est Deus summus. Sic conceditur totum. Nam Christus non qua Deus, sed qua homo exinanitus preces fudit ad Deum. Excipitur: si Christus diuinam naturam carni habuisset coniunctam, non opus fuisset, ad aliam personam precibus confugere. Resp. Non fuisset opus, nisi Christus sponte sese exinanuisset Phil. II, 7. 8. ne in præsentia de aliis precum Christi rationibus dicam.*

3. *Cui omnia a patre data sunt, ille non est summus Deus. Nam summus Deus omnia iam habet ipse. Sed Christo &c. Ioh. III, 35. VI, 39. E. Resp. Datio duplex est, alia ad intra, per essentia diuinæ communicationem; si de hac intelligatur, negatur maior; alia ad extra per collationem, quæ ab essentia diuinæ communicatione diuersa est. Si nunc ita concluditur: Cui omnia a patre ad extra data sunt, ille eatenus non est summus Deus; Christo &c. E. conceditur de humana Christi natura, salua eius Diuinitate.*

4. *Christus dicit: pater maior est me, Ioh. XIV, 28. E. non est summus Deus. Resp. pater maior est Christo, si Christus secundum humanam naturam consideretur, sed inde non sequitur, quod Deus non sit.*

5. *Chri-*



5. *Christus voluntatem suam subiicit voluntati patris, Matth. XXVI, 39. E. non est verus Deus.* Resp. Quatenus id fecit, sc. respectu humanæ naturæ, non est verus Deus.

6. *Christus vocat patrem solum verum Deum, Ioh. XVII, 3. E. de se Diuinitatem negat.* Resp. potest ita intelligi, quod sola essentia diuina, quam habet pater, sit vere diuina, quod non obstat diuinitati filii, quia is eandem numero habet essentiam diuinam (§. 55.); & debet ita intelligi, ne supra demonstratis contradicat (vid. §. 30. Sch. I.).

7. *Christus negat, se nosse diem nouissimum, Marc. XIII, 32. coll. Matth. XXIV, 36. E. non est verus Deus, quia Deus est omniscius.* Resp. Conceditur, quod Christus, quatenus ignorauit diem nouissimum, i. e. secundum humanam naturam, in se spectatam, non sit verus Deus, salua diuinitate eius. Nec obstat huic explicationi, quod oratio Christi, ab hominibus ad angelos, & ab his ad filium progredientis, assurgat, cum tamen humanitas Christi, in se spectata, angelis eminentior non fuerit. Nam quia tamen propter factam idiomatum diuinorum communicationem illis præstantior erat, hoc respectu Christus gradatione vti, & de humanitate tamen, in se spectata, cognitionem illius diei negare potuit.

8. *Christus dicitur obediuisse Deo, Phil. II, 8, seruus Dei Ies. LII, 3. LIII, 11. E. non est verus Deus.* Resp. Conceditur, quod, quatenus patri obediuit, i. e. qua humanam naturam, Deus non sit: salua diuinitate.

9. *Quicumque non est principale fidei obiectum, non est supremus Deus. Christus Sc. Ioh. XII, 44. E.* Resp. Neg. minor. Nam l. c. ita est explicandus: Quicumque credit in me, is credit non in me solum, sed in eum etiam, qui me misit; ne euidentis contradictio oriatur. conf. Ioh. XIV, 1. 9. 10.

10. *Christus sepissime a Deo distinguitur, vt cum dicitur filius Dei Ioh. III, 16., imago Dei 2. Cor. IV, 4. apud Deum fuisse Ioh. I, 1. 2. E. non est verus Deus.* Resp. Deus sumitur vel essentialiter, & ita Christus a Deo non distinguitur I. Ioh. V, 20, vel personaliter, & ita Christus quidem a Deo sc. patre distinguitur, sed inde sequitur tantum, quod Christus non sit Deus pater.

11. *Ipse Christus supremam sibi potestatem derogat Matth. XX, 23. E. non est verus Deus.* Resp. Non derogat supremam sibi potestatem, sed collationem ciuiliū honorum ab officio, quod tunc temporis gerebat, alienam esse, dicit, teste contextu.

Solutio  
dubiarum

Schol. 2. Quod ad Spiritus S. diuinitatem attinet, sequentibus illam impugnant argumentis:



1. Si spiritus S. est persona diuina, Christus erit eius filius propter conceptionem a spiritu S. Luc. I, 35. Resp. Neg. consequens omni respectu falsum esse. Nam quomuis spiritus S. Christi pater non sit qua naturam diuinam, quia potius spiritus S. essentiam diuinam communicatam habet a filio (§ 65.); nec qua humanam hoc sensu, quod more humano genuerit Christum ex Maria, utpote quod nec potuit propter spiritualitatem suam, operatione diuina miraculosa tamen conceptionem Christi præstitit.

contra diuinitatem spir. S.

2. Deus seu persona diuina non dicitur dari, precibus impetrari, nec ab homine possideri. Sed hoc dicitur de spiritu S. Luc. XI, 13. Ioh. XIV, 26. Act. V, 32. 1. Cor. VI, 19. E. spiritus S. non est Deus. Resp. α) negatur maior. Nam alteri dari, non repugnat personæ, nec Deo summo, siquidem filius Dei est Deus summus (§. 34. 37.), & tamen datus Ioh. III, 16. Ies. IX, 6. Nec Deo repugnat, precibus impetrari aut possideri Pf. LXXIII, 25. Ioh. XIV, 23. vbi ipse pater etiam, cuius diuinitatem non negant Sociniani, apud fideles habitationem sibi facere dicitur. β) spiritus S. sumitur etiam interdum in S. scriptura pro donis spiritus S. Luc. XI, 13. coll. Matth. VII, 11. quo sensu in istiusmodi locis sumi potest. Sed inde non sequitur, spiritum S. alio sensu non esse tertiam diuinitatis personam & verum Deum, gratiose in hominibus fidelibus habitantem.

3. Spiritus S. diserte dicitur virtus Dei Luc. XXIV, 49. coll. Act. II, 4. Luc. I, 35. 1. Cor. II, 4. E. non est summus Deus, vel persona diuina. Resp. Non sunt hæc repugnantia, quia filius Dei etiam dicitur virtus Dei 1. Cor. I, 24., qui tamen persona diuina est (§. 92.), & verus Deus (§. 34.).

4. Spiritus S. in multis locis mentio non fit, vbi fit mentio patris & filii. E. non est summus Deus. Resp. patris etiam interdum non fit mentio, vbi filius commemoratur Gal. III, 27. & tamen est verus Deus.

5. Spiritus S. in S. scriptura non vocatur Deus, nec cultus religiosus ei tribuitur. E. non est Deus. Resp. Negatur antecedens per §. 51. 52. 54.

Schol. 3. Sunt etiam dubia contra totam Trinitatem formata ab aduersariis, quæ, ut veritas stabilietur rectius, paucis soluenda sunt. Vbi autem prænotandum est, fontem obiectionum primarium esse hunc, quod vox Deus in duplici sumatur significato. Iam sumitur essentialiter pro essentia diuina, omnes tres personas complectente vel abstrahente a relationibus personalibus; iam personaliter pro certa diuinitatis persona, vel, ut rem exprimunt alii, iam pro concreto absoluto, iam pro respectiuo. Iam opponunt Vnitarii:

Dubia contra Trinitatem alia soluuntur.

CARPOV. de Trinitate.

O

1) Con-



1) *Contradictorium esse, ut vnus detur summus Deus, & tamen qualibet Deitatis persona sit summus Deus, adeoque tres Dii summi sint.* Responsio est in promptu. Contradictorium est, esse vnum Deum summum essentia & tres, vel vnum summum Deum persona & tres. Sed hoc a nobis non defenditur.

2) *Vnus ille Deus est pater; filius ex nostra sententia est vnus ille Deus E. filius est pater.* Vitium hic latet in forma, dum Syllogismus quatuor laborat terminis. Terminus: vnus ille Deus, aliter sumitur in maiore, aliter in minore. In maiore ita debet intelligi: Vnus ille Deus sub notione personali τὸ ἀναρχὸν εἶναι est pater. In minore ita: Filius est vnus ille Deus sub notione personali generationis passiuæ; propter quaternionem terminorum itaque nihil legitime potest sequi.

3) *Si recte argumentamur: pater est persona diuina, filius est persona diuina, spiritus S. est persona diuina E. tres sunt persone, non vna; pariter recte argumentamur: pater est summus Deus, filius est summus Deus, spiritus S. est summus Deus E. tres sunt summi Dii, non vnus.* Sed contra eundem impingitur scopulum; qui in ambiguitate vocis: *summus Deus*, latet. Nam si propositionem: Pater est summus Deus, intelligas: Pater est summus Deus personaliter vel vna persona summæ diuinitatis &c. nihil aliud conficis in conclusione, quam tres diuinitatis personas esse, quod volumus. Si autem intelligas ita: Pater est summus Deus i. e. pater est & habet omne id, quod ad essentiam diuinam pertinet; negatur, quia essentiæ diuinæ particeps est etiam filius & spiritus S., cum tamen pater nec filius sit, nec spiritus S.

4) *Si tota diuinitatis natura communicata est cum persona qualibet, & vero ad totam ternio personarum pertinet, sequitur, quamlibet personam trinam personis esse.* Respondeo: Fallacia latet in voce: *tota diuinitatis natura*, quæ vel qua essentiam & attributa essentialia, vel etiam qua relationes potest intelligi. Iam si dicas: Totam diuinitatis naturam communicatam esse cum filio & spiritu S. & intelligas modo priori, conceditur, sed N. V. C. quia ad totam diuinitatis naturam, qua essentialia tantum spectatam, non pertinent relationes personales. Si autem ita intelligas, quod tota diuinitatis natura communis sit omnibus tribus non tantum qua essentialia, sed etiam qua relationes personales, falsum est. Nam pater communicauit cum filio omnem realitatem suam, sed excepta paternitate (§. 56. Schol. 3.) & pariter pater & filius omnem realitatem suam cum spiritu S. communicarunt, sed excepta spiratione actiua.

5) *Verus & vnus Deus est pater Christi. Sed persona tres non sunt pater*



pater Christi, E. tres persone non sunt vnus verus Deus. Quod argumentum in prima figura se haberet ita: Quicumque non sunt pater Christi, illi non sunt verus Deus; quia verus Deus est pater Christi. Sed filius & spiritus S. non sunt pater Christi, E. non sunt verus Deus. Fallitur argumentum ambiguitate termini: *verus Deus*; qui essentialiter videtur accipi, cum debeat tamen personaliter. Nempe verus Deus pro prima diuinitatis persona acceptus, est pater Christi. Et hinc quicumque non est pater Christi, non est verus Deus, pro prima persona diuinitatis acceptus. Sed filius & spiritus S. non sunt pater Christi, E. non sunt verus Deus, pro prima diuinitatis persona acceptus. Ita conceditur totum. Non enim filius aut spiritus S. sunt pater. Quod si vero propositionem: verus Deus est pater Christi, ita velis intelligere, quod verus Deus absolute sumptus sit pater Iesu Christi, negatur.

6) *Verus Deus est pater, filius & spiritus S. sed pater est verus Deus, E. pater debet esse pater, filius & spiritus S. item filius est verus Deus, E. filius debet esse pater, filius & spiritus S. & sic de spiritu S. Cum autem conclusio sit falsa, falsitas debet esse in premissis.* R. ambiguitas latet iterum in voce: *verus Deus*, quæ in maiore sumitur pro concreto absoluto, omnes tres personas complectente, sed in minore pro concreto respectiuo, vt idem sit ac pater est verus Deus personaliter siue pro prima persona acceptus.

7) *Quicumque sunt pater, filius & spiritus S. illi sunt alius, alius & alius. Deus est pater, filius & spiritus S. E. Deus est alius, alius & alius.* R. si intelligatur ita, quod Deus sit alius & alius & alius eodem sensu, quo pater, filius & spiritus S. sunt alius, alius & alius sc. personaliter, conceditur totum. Si vero diuersitatem essentialem intelligas, negatur maior & hinc etiam conclusio.

8) *Filius Dei differt a patre, vt genitum ab ingenito. Sed quia accidens in Deum non cadit, genitum & ingenitum in Deo debent esse substantia. E. filius a patre differt substantialiter.* R. distinguendum est inter differre substantialiter, qua substantiam absolutam & respectiuam. Et conceditur, quod filius a patre differat substantialiter qua substantiam respectiuam non qua absolutam. Nempe eadem numero est substantia diuina, quæ sub trino respectu hypostatico consideranda venit. Si igitur substantiam diuinam sub certo respectu hypostatico consideratam, voces substantiam respectiuam, vtique pater a filio qua substantiam respectiuam differt. Quod autem differat qua absolutam, ex argumento non sequitur.





9) *Pater est ingenitus & filius est genitus, E. non sunt vnus & idem Deus, alioqui vnus & idem Deus esset genitus & ingenitus, quod contradictorium.* R. nulla in toto argumento est contradictio. Nam dum pater ingenitus & filius genitus est, id tantum inde sequitur, quod non sint vnus & idem Deus, personaliter spectatus, quod totum largimur. Sed quod essentia diuina differant, non potest inde confici.

10) *Quod numero vnum est, non potest esse numero plura. Sed natura diuina numero est vna. Non igitur potest personis, numero diuersis, multiplicari.* R. Quod numero vnum est, illud eodem respectu, quo est numero vnum, non potest esse numero plura. Sed natura diuina numero vna est (sc. essentia) E. eodem respectu (essentiæ) non potest esse numero plura. Conceditur totum. Si autem subsumis ita: Natura diuina numero vna est (personis) E. non potest plures personas continere; negatur minor. Ita patet abunde, non posse mysterium, quod defendimus, argumentis rationis conuelli. Et ad modum datarum resolutionum, aliæ etiam obiectiones poterunt solui.

Distinctionem realem personarum negantes.

§. CXIII. *Realem autem distinctionem personarum, quæ altera erat antitrinitariorum classis, negarunt* 1. PRAXEAS, qui Deum patrem omnipotentem Iesum Christum esse dixit, huncque crucifixum passumque contendit, teste TERTULLIANO, a quo est confutatus. 2. NOETIANI & SABELLIANI, docentes, patrem, filium & spiritum S. vnã esse hypostasin & vnã personam, quæ tria habeat nomina, patris, filii & spiritus S., eamque in V. T. vt patrem, legem tulisse, in N. T. autem, vt filium, hominem esse factam, vt spiritum S. apostolis superuenisse. Hi vno nomine patripassiani sunt dicti, & errarunt contra §. 77. vbi realis distinctio personarum est demonstrata.

Vnitatem Dei negantes.

§. CXIV. Denique, quæ tertia classis est, *in vnitatem Dei peccarunt* 1. *duplex principium independens*, bonum vnum, alterum malum, *statuentes*, qui a defensore, licet non inuatore, erroris, MANETE, MANICHÆI dicti sunt, & rationi & reuelationi aduersantes (§. 17.). 2. *PERATÆ*, quorum THEODORETVS l. i. c. 18. mentionem facit, Trinitatem, quam Christiani profiteamur, tres Deos, tres mentes, tres rationes esse, contententes contra §. 17. 55. 94. 3. *IOANNES Grammaticus*, Philoponus



ponus dictus, qui, naturam & subsistentiam vnum idemque esse, sibi persuadens falso, & hinc in Christo, propter subsistentiæ unitatem, unitatem naturæ etiam, Eutychnorum more, asserens, obiicientibus aliis, quod ita in Trinitate etiam tres naturæ sint statuendæ propter trinitatem hypostasium, defendere cœpit, in Trinitate etiam tres naturas esse admittendas, ita vt essentia diuina sit quasi vna specie, & tribus indiuiduis communis. Aduersatur autem ei, quod eadem numero essentia diuina sit omnibus tribus personis communis (§. 55.). 4. *TETRATHEITÆ*, qui, præter tres diuinas hypostasies seu personas existere quartam quandam essentiam, quæ tribus communis esset, & se tribus illis communicaret, propter quam communicationem Dii fierent, autumarunt; id quod pariter §. 55. 92. est aduersum.

§. CXV. *Ecclesia Græca spiritum S. a solo patre, nec a filio procedere, docuit contra §. 65. 66.* Error Eccl. Græc.

Schol. 1. Prouocat autem ad hæc: 1. *Iob. XV, 26. vbi non dicitur, quod a filio etiam procedat.* At dum a patre procedere dicitur & pater filiusque sunt *Ev Ioh. X, 30. XVII, 11. 12.* & vna eademque vtriusque virtus est, simul a filio procedere dicitur, vti §§. cit. demonstratum. 2. *Si spiritus S. a filio etiam procedit, fiet personarum confusio, nec pater satis erit distinctus a filio.* At alio respectu pater satis a filio distinguitur (§. 77.). 3. *Spiritus S. est vnus; vnum autem habet vnum tantum principium. E. spiritus S. a patre tantum procedit.* Sed negatur vltima consequentia, siquidem pater & filius respectu spiritus S. sunt tantum vnum principium (§. 71.). 4. *Si pater est sufficiens principium spiritus S., hic non procedit a filio.* Sed verum est prius, E. Negatur autem consequentia. Non enim spiritus S. a filio etiam procedit propter insufficientiam virtutis in patre, sed quia virtus patris filiique respectu spiritus S. est eadem (§. 65.).

Schol. 2. *Lis de processione spiritus S. a filio in ecclesia agitari cepit inde a Theodoretis temporibus, qui eam publice impugnauit, sententiæque suæ asseclas nactus, acerrimis inter Græcam & Latinam Ecclesiam contentionibus occasionem dedit.* At vero nunc sententiam suam ita declarare dicuntur Græci, quod spiritus S. a patre procedat per filium, quod si ita intelligunt, vti supra a nobis declaratum (§. 66. Schol.), sententia illorum a nostra non est aliena, cf. *HEBENSTREIT in Syst. Theol.* Monitum,



T. I. Loc. 2. p. 589.; at tamen aliter de Græcorum opinione sentit PFAFF in Instit. Theol. p. 154. 155.

Cancilia-  
tio Trini-  
tatis cum  
canone  
quodam  
Logico.

§. CXVI. Nec prætereundum est, quod & olim & nostra ætate multorum ingenia exercuit: *quomodo Trinitas consistere possit cum canone: quod quæcunque sunt eadem cum vno tertio, illa sint eadem inter se?* Quamuis enim hic canon fundamentum sit omnis ratiocinationis syllogisticæ, siquidem ideo termini præmissarum diuersi in conclusione connectuntur, quod in vno tertio, sc. termino medio, conueniunt: Trinitati tamen aduersari, non nullis & maxime BAILIO in Dict. Hist. Crit. artic. Pyrrhon. f. 2431. videtur. Nam licet personæ Diuinitatis conueniant in vno tertio sc. essentia diuina, non tamen conueniunt inter se, dum non licet argumentari: *Pater est Deus, filius est Deus E. filius pater;* vel in prima figura; *Quisquis est Deus, ille est pater: filius est Deus E. filius est pater* (§. 77. 90.); Vnde aut canon ille falsus esse, aut essentia diuina cum persona non identificari posse, videtur. At quamuis varii varie ex hac se difficultate expedire conati sint, vt videre est in PAVLLI SLEVOGTII Diff. de principio syllogizandi in diuinis: nobis, hoc dubium remoueri posse, videtur, per supra (§. 112. Schol. 3.) datam distinctionem *inter essentiam diuinam vel diuinitatem absolute spectatam, quatenus illa omnibus tribus personis communis est, & characterisatam certa hypostasi* ita, vt quamlibet personam, quia cuiuslibet competit essentia diuina (§. 55.), identificari dicamus cum essentia diuina, vel diuinitate hypostasi sua characterisata, non autem cum absolute spectata, quatenus illa omnibus tribus personis æque communis & quælibet tamen persona ab altera diuersa est. Hinc si in Syllogismo secundo inferatur ita: *Quicumque est Deus, hypostasi paternitatis characterisatus, ille est pater. Filius &c. E.* Negatur minor. Nam filius est Deus, non hypostasi paternitatis sed filiationis characterisatus. Si ita: *Quicumque est Deus, absolute spectatus, quatenus essentia diuina omnibus tribus personis communis est, ille est pater. Filius &c. E.* Negatur maior, quia ad essentiam diuinam, quatenus illa tribus communis est, pertinet & Filius

lius



lius & spiritus S. Nec valet minor, quia filius est tantum certa essentia diuinæ persona, cuius hypostasis reliquis personis est incommunicabilis (§. 90. fin.). Quod autem *ad primum syllogismum* attinet, ille est in secunda figura, utramque habens præmissam affirmantem, unde forma eius est vitiosa. Ita, si concludatur recte, canon ille non aduersatur Trinitatis mysterio.

§. CXVII. Sunt præterea recentiores quidam, qui minus recte de S. Trinitate senserunt & loquuti sunt, IO. CLERICVS. seu LIBERIVS de S. AMORE, PETRVS POIRET, HERRMANN DEVSING, HERM. ALEX. ROELLIVS, SAM. CRELLIVS, IO. WALLISIVS, GVIL. WHISTON, alii, notati ideo a Viris S. R. celeberrimisque IO. GEORG. WALCHIO in Diff. cit. de Samofatenianis Neotericis & IO. ERID. WVCHERERO in Diff. inaug. de subordinatione filii in diuinis non admittenda, ut & præcipue a b. ZACH. GRAPIO in syst. Controu. nouissim. T. I. aliisque.

Errantes recentiores in doctrina de Trinitate.

Schol. Ad hos recentius errantes pertinet etiam Paulus Maty, ecclesie Reformatae minister in Batauia, qui tres in Trinitate substantias esse, quarum vna alteri subordinata, filius patri & spiritus S. Patri filioque, statuit. Quem confutauit D. BALTHASAR in Diff. de Gloria diuina promouenda. Gryphiswald. 1732.

§. CXVIII. Quam egregie autem doctrina de Trinitate, in nostris ecclesiis recepta, conueniat cum veritatibus supra demonstratis, & absit ab erroribus enarratis, sufficientissime docet Aug. Conf. art. I. vbi non tantum decretum synodi Nicænae, de vnitae essentia diuinæ personisque tribus, verum & sine vlla dubitatione credendum esse, profitentur, sed omnes etiam hæreses, contra hanc veritatem exortas, nominatis saltim præcipuis, damnant confessores nostri. Quo accedit, quod in fine Form. Concord. reiciant & damnent errores nouorum Anti-Trinitariorum, post tempus A. C. prodeuntium, ad rationem de sincera doctrina & confessione sua in nouissimo die iudicii Domino nostro Iesu Christo reddendam, parati.

Consensus doctrinae nostrae cum LL. Symb.

§. CXIX. POLYC. LYSERVS in *Apparatu Literario ex Societ.*



ciet. *Colligentium Collect.* I. *Wuteb.* 1717. p. 212. S. S. Trinitatis mysterium rationi aduersari & contra canonem: *impossibile est, ut tria perfecte equalia quartum, quod nec aliud, nec maius quid est quam unum ex his tribus, constituere possint, vel breuius: pars non potest esse equalis toti; impingere arbitratur.* Ita se habent ipsius verba: *Ratio obiiciet: in patre est tota substantia & essentia diuina: In filio est tota substantia diuina: In spiritu S. est tota essentia diuina. Pater non est filius, non spiritus S. filius non est spiritus S. E. dantur tres essentia diuina. Ut euincam, esse mysterium hoc contra rationem, addo demonstrationem mathematicam:*

Sit Pater = a

Filius = b Tota subst. diuina = x.

Spiritus S. = c

Ex hypotbesi (Trinitariorum) est a = x

b = x

c = x

E. a + b + c = x + x + x = 3x

Atqui ex mente orthodoxa sententia pater, filius & spiritus S. sunt una essentia diuina, id est

a + b + c = x

Ergo foret

x + x + x = x siue 3x = x.

At contra rationem est, partem esse aequalem toti. E. & mysterium Trinitatis est contra rationem. Q. E. D.

At quamuis fatius esse arbitrer, ut ab algebra abstineatur in mysteriis, utpote in quibus caremus notionibus adæquatis, in algebra supponendis: non tamen difficulter error, in hac illatione commissus, ex præcedentibus ostendetur; ubi tamen monemus, ne quis hæc ita interpretetur, ac si, Trinitatem ex tribus partibus compositam, putemus, siquidem ab hoc TRIFORMIANORVM errore, ut superiora docent, sumus maxime alieni. Nempe quia

NON



non Pater solus ad substantiam diuinam pertinet, sed hypostasis tantum eius est aliqua (§. 92. 93.), ad totum autem substantiæ diuinæ pater, filius, spiritusque S. pertinent (§. 55.), hypothesi alia ratione formata, ita erat inferendum:

Sit tota substantia diuina  $\equiv$  Patri (a) + filio (b) + Spiritui S. (c)  $\equiv$  x.

$$E. 2x \equiv 2a + 2b + 2c.$$

$$\text{Deus Pater} \equiv a \equiv x - (b + c)$$

$$\text{Deus Filius} \equiv b \equiv x - (a + c)$$

$$\text{Deus Spir. S.} \equiv c \equiv x - (a + b).$$

$$E. a + b + c \equiv 3x - (2a + 2b + 2c)$$

$$3x - (2a + 2b + 2c) \equiv 3x - 2x \equiv x.$$

$$E. a + b + c \equiv x.$$

Ita prodit, patrem, filium spiritumque S. constituere diuinam substantiam, quod doctrinæ nostræ est conueniens.

Schol. Sunt equidem, quibus displicuit hæc meditatio, dum aliis <sup>Monitum.</sup> inconueniens visum fuit, Trinitatem ex Algebra demonstrare velle, alii petitionem principii & circulum in præcedentibus sibi inuenire, visi sunt. Vtrique non satis capiunt mentem meam. Approbo eorum sententiam, qui Trinitatem ex calculis algebraicis non demonstrandam esse contendunt. Sed non est hæc mens mea. Non demonstrare hic volui Trinitatem, sed dubium remouere. Remotio autem dubii & demonstratio thesæos non eadem, sed diuersa sunt. Maiori cum specie agunt posteriores obiectantes, qui circulum commissum esse, credunt, ideo quod in conclusione sit, quod erat in hypothesi, nempe  $a + b + c \equiv x$ . Sed attendant velim, distinguendum esse inter demonstrationem & obiectionis remotionem. Si mihi animus fuisset, Trinitatem per præsentem calculum demonstrare, & in conclusione producerem, quod erat in hypothesi, concederem, circulum a me commissum esse. Sed modo monui, me noluisse h. l. demonstrationem instituere. Longe alia est ratio remotionis dubii. Lyserus ex nostra de Trinitate doctrina absurdum deriuat, nempe quod

$$x + x + x \equiv x$$

quo, eandem sanæ rationi repugnare, mathematicè se demonstrasse, CARPOV. de Trinitate. P cre-



credit. Quia autem falso & ita, ut nostræ doctrinæ minus conueniens est, hypothesein formauit, nempe quod

a = x

b = x

c = x

ostendendum erat, modo dictum absurdum non contineri in doctrina nostra, si intelligatur recte, & hinc hypothesis formetur ita, uti veræ doctrinæ est conueniens. Quocirca ostendi, si hypothesis formetur recte nempe ita, quod pater, filius & spiritus S. totam substantiam diuinam constituent, non sequi absurdum, quod exculpere nitebatur auctor nominatus. Conferatur etiam das freywillige Heb-Opffer im 33. Beytrag.

Epistola  
Wissowatii contra  
Trinitatem, cum  
responsione Leib-  
nitiana &  
nostra.

§. CXX. Quam fertilia pariter ac utilia sint, quæ supra de sacratissimo Trinitatis mysterio demonstraui, principia ad aduersariorum vel acutissimos insultus declinandos atque resutandos, ut clarius appareat, agendum faciamus periculum! ANDREAS WISSOWATIVS, auctor inter Socinianos satis clarus, cuius vitam bibliotheca antitrinitariorum exhibet, superiori sæculo ad Baronem de Boineburg dedit epistolam, contra veritatem doctrinæ de Trinitate directam, qua, Viro ante & post fata summo, LEIBNITIO, qui ipse quoque responsionem tentauit, teste, omne fere robur sophismatum contra sacratissimum hoc mysterium continetur. Exhibeamus illam, vna cum responsione LEIBNITII ex *Apparatu Literario Societatis colligentium Collect. I. Witteb. 1717. p. 213. seqq.* ita, ut nostram simul responsionem, ex promptuario principiorum supra positorum depromptam, interferamus.

*Epistola WISSOWATII ad Baronem Boineburgium. Manhemio, mense Octobr. 1665.*

Suscepta obiectione Tua, & missa ad eam responsione, qua, nisi fallor, ostendi, nostram de Iesu Christo non supremo Deo, sed tamen huic proximo & subordinato, ac proinde de eius adoratione diuina non suprema, sed supremæ proxima & subordinata, sententiam non implicare contradictionem, (a) cuius Tu nos arguere voluisti; nunc vicissim Tibi aliquas circa idem subiectum contra vulgarem opinionem, quam &

Tu



Tu foues, obiectiones, largius, quam Tu dedisti addere volens, mitto.

Adspice num mage sit nostrum penetrabile telum (*b*).

Quodsi ipse obiectiones istas examinare negliges, saltem alicui, a veritatis exploratione non auerso, examinandas porrigito.

## I.

Vnus Deus altissimus (*c*) est pater ille, ex quo omnia. Filius Dei Iesus Christus non est pater ille, ex quo omnia. Ergo Filius Dei Iesus Christus non est vnus Deus altissimus. Syllogismi huius propositio maior habetur 1. Cor. VIII, 6. in verbis Apostoli, qui docere volens, quis nobis Christianis habendus sit Deus ille vnus, nempe non talis, quales sunt multi Dii, quos esse ibidem supra dixit, ait, eum esse patrem illum, ex quo omnia, nempe primam personam, ex qua, vt fonte & causa primoque principio, omnia proficiuntur. Non dicit, vt nunc dici solet, vnum illum Deum esse & patrem & filium & spiritum sanctum, cuius mysterii dicendi hic erit vel maxima occasio, si vsquam (*d*).

Minor probatur præter alia inde, quod ibidem vox Iesus Christus distinguitur ab illo patre, ex quo omnia, & peculiariter describitur alio modo: Vnus Dominus per quem omnia (*e*). Nempe diuinus non supremus, qui est solus pater, ex quo omnia, sed is, quem Deus ille fecit Dominum (*f*) & Christum seu vnum suum, vt ait S. Petrus Apostolus alter Act. II, 36. per quem vt secundam & mediam causam Deus ille supremus ex quo omnia, vt prima causa facit ista omnia. De quo vide etiam Eph. II, 9. Ebr. I, 2. XIII, 24. Act. II, 22. Tit. III, 4. 5. 6. 2. Cor. V, 18. 1. Cor. XV, 57. 2. Cor. IV, 14. Rom. II, 16. (*g*).

Hoc autem ipsum, quod Deus ille vnus altissimus per Iesum Christum faciat talia, potest esse argumentum peculiare, quo probetur, Iesum non esse Deum ipsum altissimum (*h*).

## II.

Qui nesciuit diem iudicii, is non est Deus (*i*) altissimus.

Filius nesciuit diem iudicii.

Ergo Filius non est Deus altissimus.

Maiores probatur, quia esse omniscium, est Dei altissimi attributum proprium. Qui autem nesciuit diem iudicii, is non est Deus altissimus. Implicat hoc contradictionem. Minor patet ex verbis ipsius Christi primo Matth. XXIV, 36. de illa hora nemo scit &c. nisi pater meus solus. Deinde expressius Marc. XIII, 32. de die & hora nemo scit, neque angeli, qui sunt in coelo, neque filius nisi pater.





Quantopere hæc verba Christi torserint, & torqueant (*k*) homoufianos, & quomodo ipsi vicissim torquere soleant, pater ex Maldonato. Afferuntur inter alias responsiones istæ: Filium nesciuisse, ita esse interpretandum, non quod vere nesciuerit, sed quod se scire dissimulauerit, quod reuelare noluerit, quod fecerit, vt nos nesciremus, quod eum diem nondum expertus fuerit; tales sunt Doctorum seu patrum Ecclesiæ in ista Christi verba commentationes vel potius eorum contorsiones ineptæ, vt agnouit ipse Maldonatus, Iesuita, easque reiicit. Nam primo quidem, non idem est nescire, quod dissimulare se scire, vel nolle dicere. Deinde his admissis sequeretur, posse dici, etiam Deum patrem diem istum nescire, quod est absurdum. Sed ipse Maldonatus alias ingeniosus aliam responsionem dubitanter afferens, vineta sua cædit. Vulgata responsio præsertim Reformatorum: (nam alii (*l*) eam refugere solent) est ex distinctione partium in Christo: nesciuisse eum hunc diem quoad humanitatem, at sciuisse quoad diuinitatem. Sed distinctio ista vana est, quando ponit vnum suppositum filii Dei esse Deum altissimum, & hominem simul, atque Deum supremum esse hominem, quod est absurdum, & implicans contradictionem, etenim Deus & Homo sunt disparata, (*m* 1.) at disparata non possunt & de alio tertio, & de se inuicem prædicari proprie, quod omnes ratione sana vtentes nec eam obnubilantes agnoscunt. Vt ferrum esse lignum, animam esse corpus, absurdum est. Si idem esset Deus & homo, sequeretur simul Deum summum simul esse non Deum summum, quod est contradictorium. Nec vna pars de toto composito potest prædicari proprie, vniuoce. Deinde quod composito cuidam inest secundum partem quandam & quidem maiorem ac potiorem atque affirmari de eo simpliciter potest ac debet, id de eo non licet negare simpliciter (*m* 2.) quamuis ei non inest secundum partem minorem. Vt quamuis corpus hominis nun ratiocinetur, nec sciat aliquid, tamen cum anima eius ratiocinetur, atque sciat, quis dicat simpliciter, hominem non ratiocinari neque aliquid scire? An ipsi concedent (*n*) vt dicere liceat, filius Dei non creauit mundum, non est patri coessentialis, quia ipsi non conueniunt secundum humanam naturam, nisi per idiomatum commenticiam communicationem.

2. Cum ista (*o*) Christi natura humana dicatur coniuncta Deitati hypostaticæ in vnitatis personæ, nonne Deitas humanitati suæ tam arcte coniunctæ scientiam huius secreti, cuius capax esset, communicauit?

3. Si persona (*p*) filii, quæ est diuina, sciuit istum diem, quomodo potest vere dici, filium nesciuisse eum, cum illa persona sit iste filius? 4. Simpli-

pliciter (q) hic dicitur filius nesciuisse diem iudicii, ergo hoc de filio toto dicitur, non de parte filii inferiore, quæ non solet vocari simpliciter & absolute filius. §. patet hic per filium Dei (r) quatenus est Dei filius primo ob id ipsum, quia non dicitur filius hominis, sed absolute filius, per quem solet intelligi filius Dei. Deinde quia huic filio statim opponitur pater eius, qui est Deus, ergo istius patris filius intelligitur & dicitur solus pater scire, & quidem opposite ad filium, idque ita ut filius nescire, pater vero solus scire dicatur. Tale hinc emergit argumentum acerte stringens:

Quicumque (s) sciuit tunc diem iudicii, is est pater Iesu Christi.

At filius etiam secundum diuinitatem consideratus non est pater Iesu Christi.

Ergo filius etiam secundum Deitatem consideratus non sciuit diem iudicii.

Maior probatur ex verbis Christi, quibus dixit, solum patrem suum diem istum sciuisse. Nam si solus pater Christi sciuit, ergo quicumque sciuit, is est pater Iesu Christi, & quicumque non est pater Iesu Christi, is nesciuit, seu exclusus ab ista scientia.

Minor negari non potest, quia est in concessio apud omnes. Ergo conclusio est firma. Simile argumentum peti potest (t) ex eo, quod sicut hic omniscientiam ita alibi omnipotentiam talem, ut omnia a se ipso facere posset, filius Dei sibi denegauit. Ioh. V, 19. 30. VIII, 28. Tum ex eo (u) quod filius omnia habeat non a se, sed a Deo patre sibi data, Matth. II, 27. XXVIII, 18. Ioh. III, 35. XIII, 3. XVII, 2. 7.

### III.

Vnicum (x) numero & singulare ens non prædicatur de multis. Quia hoc est de definitione singularis seu indiuidui, alias non esset singulare, sed contra vniuersale.

Atqui Deus altissimus est vnicum numero & singulare Ens.

Ergo Deus altissimus non prædicatur de multis. Sed Trinitarii, qui negare non audent, eum esse ens singularissimum, vnicum numero, non specie vel genere, tamen eum prædicant de tribus personis, quarum vnaquæque cum sint distincta substantia, est illis distincte Deus altissimus. At ut ter vnum sunt tria, sic ter vnus sunt tres. Ergo vbi est ter vnus Deus, ibi sunt tres Dii.

Quidam eo deuenerunt, ut dicant, esse quidem numero vnum Deum essentialiter, sed non esse vnum Deum, si idem consideretur personaliter. Ita non absolute & simpliciter strictissima vnitatem (y) vnus erat Deus altissimus, sed aliquo modo.



## IV.

Ex regula illa infallibili, quæ duo in vno singulari tertio conueniunt, procedit tale argumentum ex singularibus:

Deus ille altissimus (z) vnicus indiuiduus est pater filii Dei Domini Iesu Christi.

Deus ille altissimus vnicus indiuiduus est filius Dei Dominus Iesus Christus. Ergo filius Dei Dominus Iesus Christus est pater filii Dei Domini Iesu Christi. Atqui hoc implicat contradictionem & est palam falsum. Ergo aliqua præmissarum est falsa. Non maior, quam omnes Christiani agnoscunt.

Ergo minor.

## V.

Filius Dei aut est a se aut est ab alio, adeoque non est absolute primum principium, sed principiatum (aa). Si posterius eligatur, tunc sequeretur filium non esse Deum altissimum. Nam huic repugnat esse ab alio, & habere vlllo modo principium existendi; Sin prius, tunc sequetur, filium Dei, si non ab alio est, non esse filium. Nam hoc implicat contradictionem, certe quatenus est filius, a patre est. Sed hic arguunt quidam conantur huius dilemmatis vim euitare distinctione; aiunt, filium Dei esse quidem a se ipso non ab alio, quoad essentiam, quatenus est Deus, sed eundem non esse a se, verum ab alio, quoad personam, quatenus est filius. At hæc distinctio non tollit difficultatem. Nam hic de filio est quæstio, quatenus is est filius Dei, seu persona secunda, non autem, quatenus est essentia diuina, quæ ponitur esse communis patri & filio, quæ essentia non est filius, quæ a ab istis negatur, essentiam Dei generari. Ergo tamen hoc manebit, filium Dei, quatenus est filius Dei, seu secunda persona, non esse Deum altissimum.

## VI.

Ex generatione filii Dei secundum Deitatem prææterna, quæ vulgo statuitur, præter alia hæc sequuntur inconuenientia. 1.) quod absurdum sit, eum, qui generatur secundum Deitatem, (bb) statuere, esse Deum altissimum. Sempiterna substantia non generatur. Nam generari necessario infert produci ab alio, & habere principium aliquod, saltem originis, & fieri ac proinde dependere ab alio, a quo suum habet esse. Quæ omnia non conueniunt Deo altissimo sempiterno, quo nullus vlllo modo prior esse potest. At omnis generans pater est prior genito filio; quod non tantum in humanis; sed etiam in diuinis verum esse vniuersaliter, ex communi notione ipsam vulgus homousianorum nobiscum agnoscit.

2.)



2.) quando dicitur Deus generare Deum (*cc*), qui est Deus ex Deo, aut generat eundem numero Deum, qui ipse est, aut alium. Non eundem, quia generans & generatus sunt opposita, quæ non sunt vnum & idem. Sin autem alium Deum generat, sequitur non vnum numero esse Deum altissimum. Conantur quidam ex hoc dilemmate sic elabi, dari inter ista duo medium, generari enim personam, sed non cessat difficultas. Nam num ista persona Dei, quæ generatur, non est Deus? 3) Si filius Dei generabatur (*dd*) ab omni æternitate ex essentia Dei patris, aut iam desit generari, aut non desit. Non datur medium inter contradictorie opposita. Si desit, habet finem temporis ista generatio, ergo etiam apparet eam habuisse principium temporis, adeoque non fuisse præternam. Nam, quod nunquam incepit, id nec desinere potest. Sin autem non desit, sequetur, filium Dei quoad Deitatem etiam nunc generari, & porro generandum esse in omnia secula seculorum, vt quidam concedunt, quod est absurdum. Nam quod generatur, id fit, nondum perfecte est. At non conuenit personæ Dei, esse in fieri semper. Et qui adhuc gignitur, nondum est perfecte & absolute genitus.

## VII.

Quum asseritur Deus altissimus esse incarnatus, aut tota Trinitas, seu quicquid est Deus altissimus, est incarnatus, aut non tota; si illud, non tantum filius Dei, sed etiam Deus pater & spiritus S. sunt incarnati, & ex Maria Virgine nati; quod etiam aliqui asserere non erubuerunt, quia sunt vnus indiuisibilis Deus, cum etiam non sola persona secunda sit incarnata; sed cum ea quoque essentia illa diuina, quæ a persona diuina separari nequit. Ista autem essentia est communis tribus personis, quæ in ea continentur, præsertim cum hæc actio assumenda sibi humanæ naturæ sit actio ad extra, quales actiones dicuntur esse totius Trinitatis indiuisæ. Sin autem non tota diuina trias est incarnata (*ee*), sed sola persona filii, tum sequetur Deum alias indiuisibilem, esse quodammodo a se ipso diuisum, itaque non omnino vnum ac simplicissimum, si non omne, quod est Deus altissimus, est incarnatum, vnde tale argumentum ex singularibus:

Illa Deitas (*ff*) quæ est in Deo patre, non descendit de cælo & est incarnata.

Hæc Deitas, quæ est in Deo filio, descendit de cælo & est incarnata.

Ergo hæc Deitas, quæ est in Deo filio, non est illa Deitas, quæ est in Deo patre.

Contradictorie sibi opponuntur, vnicum Deum altissimum totum esse



esse incarnatum & tamen simul Deum altissimum vnicum non totum esse incarnatum. Ergo hæc opinio implicat contradictionem adeoque se ipsam euertit, ideo vt vera consistere non potest. Sed hæc hæctenus sufficiant (gg).

Si quis mihi hos nodos bene dissoluerit, tum demum ego, istam opinionem non esse absurdam, confitebor.

*Defensio Trinitatis per noua reperta Logica contra Epistolam hanc Ariani ad Baronem Boineburgium auctore*

G. G. L. Dedicatio.

Ibit tecum in Poloniam si pateris, Illustr. Domine, quod a Polono ad Te venit. Nomini eius parcere & scripturæ priuatæ iura iubent, & suadet magna, sed, vt nos credimus, infelix viri doctrina, cuius non personæ sed sententiæ nocere volo. Is ergo a Te, pro ea, qua erga omnes literarum amantes voluntate es, inter alia eruditionis commercia appellatus de deponenda sententia exosa & periculosa, & a consensu ecclesiæ catholicæ, id est, tempore perpetuæ, loco vniuersalis, abhorrente; argumento quidem, quo tu potissimum nitebaris, in consensu Christianorum posito non respondit, id enim leue illis videtur, qui assueti sunt in ecclesia & republica summam iudicandi potestatem sibi sumere; at vero in se suosque versus ex scriptis eorum hunc velut succum contundendo expressit, quo ego fidenter dico robur omne sophismatum contra trinitatem contineri. Et profecto sic adstringit nodos, sic difficultates exaggerat, sic prosequitur pugnam, sic ictus ictibus ingeminat; vt qui his repellendis par fuerit, reliqua e pharetra Socini tela, possit fortassis audacter contemnere. Ego, illustris Domine, cum primum ea & beneficio Tuo vidi, & auctoritate ad tentandam responsionem impulsus sum, tum demum cepi & fructum & voluptatem maximam, ex profundiore illa philosophia, cui ego me meopte ingenio a puero immerfi. Hæc mihi, nisi amore veritatis fallor, in sacris meditationibus, in ciuilibus negotiis, in natura rerum ea documenta suggessit, quibus ad vitam tranquille agendam nihil in me sentio efficacius: quædam etiam tunc curiosa magis quam vtilia, sed quæ nunc in tollendis Antitrinitariorum difficultatibus eam lucem attulerunt, vt iam non dubitem, quicquid verum est idem vtile esse.

*Responsio ad obiectiones Wiffowatii contra Trinitatem & incarnationem DEI altissimi.*

(a) Quia obiectiones & responsiones pristinas non vidi, iudicare non

non



non possum, an contradictionem sententiæ Antitrinitariæ probauerint vel diluerint.

(b) Dicis ex Virgilio: Adspice num mage sit nostrum penetrabile tellum. Ego ex eodem respondeo: Postquam arma DEI ad Vulcania ventum est, mortalis mucro glacies ceu futilis icu dissiluit.

(c) Argumentum 1. præmitto in genere, quod & in sequentibus obseruandum est, copulas in syllogismorum præmissis vulgo non recte concipi. (Hæc obseruatio etiam prodest ad distinguendum infinitam a negatiua v. g. qui non credunt, damnantur, Iudæi non credunt. Ergo damnantur. Videtur esse syllogismi minor negatiua, sed non est, quia syllogismus sit talis: Qui sunt illi, qui non credunt, damnantur. Iudæi sunt illi, qui non credunt; Ergo damnantur.) Distinguendum autem inter propositiones per se & per accidens v. g. recte simpliciter dicimus: Omnis homo est albus. Et si verum sit: quia albedo humanitati immediate non cohaeret. Sed dicendum, omnis, qui est homo, est albus. Quæ etiam ex parte obseruauit Iohannes Rauen Berlinensis in peculiaribus suis de copula speculationibus. Deinde obseruandum est, ex eodem fundamento omnes propositiones singulares esse virtute latentis signi vniuersales, quod & ab auctore dissertationis de arte combinatoria est annotatum v. g. hæc propositio; Petrus apostolus fuit primus Episcopus Romanus, signis & copula recte positis ita formabitur: Omnis, qui est Petrus apostolus, fuit Episcopus Romanus. Iuxta hæc igitur formabimus primum argumentum.

Omnis, qui est vnus Deus altissimus, est pater ille, ex quo omnia. Filius Dei non est pater ille, ex quo omnia.

Ergo filius Dei Iesus Christus non est is, qui est vnus Deus altissimus. Ita Syllogismus erit in Camestris. Respondeo distinguendo: Per omnia intelliguntur vel creaturæ, vel etiam simul filius. Si creaturæ cæteræ tantum, concedo maiorem, quod omnis ille, qui est vnus Deus altissimus, sit pater ille, ex quo omnia, scilicet omnes creaturæ. Et ita negatur minor, quod filius Dei non sit pater ille, ex quo omnia, scilicet omnes creaturæ. Quia vos ipsi conceditis, omnes creaturas per filium creatas esse. Si vero sub omnium voce intelligitur etiam ipse filius, tunc concessa minore, quod filius Dei non sit pater ille, ex quo omnia nempe ipse etiam filius, negabitur maior, quod omnis ille, qui est vnus Deus altissimus sit pater ille, ex quo omnia, etiam filius, oriuntur. Nos enim donec contrarium melius probetur, manemus in hac sententia, quod fili-

GARPOV. de Trinitate.

Q

lius



lius & spiritus S. sunt ille, qui est vnus Deus altissimus, & tamen non sunt pater ille, ex quo omnia, & in iis ipse filius & spiritus S. quoque oriuntur.

(d) Non est scriptoribus ἀγισπνεύσεως ea necessitas imponenda, vt cuius dicendi etiam maxima occasio est, id statim dicant.

(e) D. Paulus I. c. per patrem, ex quo omnia, & Dominum, per quem omnia, potest intelligere, vnum idemque ens, nempe Deum altissimum. Nam alioqui iure naturali, qui pater, idem Dominus est liberorum, & præpositiones ex & per non ita disparatæ sunt, vt prohibeamur ita loqui: Ex quo sunt omnia, per eum quoque sunt omnia. Nam & Paulus alibi de vno eodemque Deo altissimo duas has particulas vna cum tertia In, simul enunciat, cum inquit: Ex quo, per quem & in quo sunt omnia. Quam phrasin quidam ad adumbrationem Trinitatis merito trahunt; verum non est meum argumentari, sed respondere.

(f) Non necesse est, vt Paulus I. Cor. VIII, 6. & Petrus Act. II, 36. vocem Dominum de Christo eodem respectu vsurpent, potest ille de Christo quatenus Deus est, hic, quatenus homo est, loqui.

(g) Non vacat nunc loca citata omnia euoluere & ex ipsis exsculpere, si qua in illis difficultas latet, ostendatur.

(h) Argumentum, quod implicite proponis, ne dissimulemus, esset tale: Omnis per quem ille, qui est vnus Deus altissimus, facit omnia, is non est Deus altissimus.

Filius Dei est ille, per quem ille, qui est vnus Deus altissimus, facit omnia.

Ergo Filius Dei non est Deus altissimus.

In hoc argumento negatur maior. Potest enim Deus altissimus, nempe pater, per Deum altissimum nempe filium, omnia facere, & tamen non per se ipsum, licet per eum, qui etiam est id, quod est ipse. Et ita respondimus, opinor, argumento primo, vt tamen ad oculum constet, neruum eius incisum esse; aliud ad eius imitationem fabricabimus.

Omne trilineum habet pro abstracto immediato trilineitatem.

Triangulum non habet pro abstracto immediato trilineitatem. Habet enim trianguleitatem potius, quæ si cum trilineitate esset immediate idem, esset etiam idem anguleitas & lineitas, quæ demta ternitate remanent.

Iam vero anguleitas & lineitas adeo non sunt idem, vt possint etiam duæ lineæ sine angulo esse v. g. parallelæ.

Ergo Triangulum non est trilineum, quod est absurdum. Respondeo ex fundamento præmisso, maiorem ita formandam: Omne, quod est trili-

trili-



trilineum, habet pro abstracto immediato trilineitatem. Et sic negatur maior. Nam & triangulum est trilineum, & tamen non habet pro abstracto immediato trilineitatem. Hoc principio adhibito, Scholasticorum tædiosis circa suppositiones præceptis carere possumus. v. g. Animal est genus, Petrus est animal. Ergo Petrus est genus. Resp. maiorem non esse vniuersalem, neque enim is, qui est animal, est genus.

*Responsio nostra ad argumentum primum.*

Argumentum, prout a Wiffowatio positum est, se habet ita:

Vnus Deus altissimus est pater ille, ex quo omnia.

Filius Dei, Iesus Christus, non est pater ille, ex quo omnia.

E. Filius Dei Iesus Christus non est vnus Deus altissimus.

Quia syllogismus in figura secunda est, reducamus ad primam, vbi ita se habebit:

Quicumque non est ille pater, ex quo omnia, ille non est vnus Deus altissimus.

Filius Dei, Iesus Christus, non est pater ille, ex quo omnia.

E. Filius Dei, Iesus Christus, non est vnus Deus altissimus.

Vox PATER duplici sensu in S. scriptura de Deo dicitur, *essentialiter* & in relatione ad creaturas, quo sensu toti essentia diuinæ, omnibus tribus personis communi, Mal. I, 6. Luc. XII, 30. Matth. X, 29. & ipsi etiam filio competit Ies. IX, 6. & *personaliter* in relatione ad filium Dei Matth. X, 33. XI, 25-27, quo sensu primæ tantum diuinitatis personæ est propria. Hoc præmisso, limbo syllogismum. Si concludatur ita:

Quicumque non est ille pater, essentialiter sumptus, ex quo omnia, ille non est vnus Deus altissimus.

Filius Dei non est ille pater, essentialiter sumptus, ex quo omnia.

E. Filius Dei non est vnus Deus altissimus, negatur minor. Nam dum filio essentia diuina competit (§. 34.), vt & creatio, tanquam causæ efficienti principali (§. 41. Sch. 1.), est etiam pater essentialiter sumptus, ex quo sunt omnia, vt taceam, S. scripturam d. l. eum etiam patrem appellare.

Si autem concludatur ita:

Quicumque non est pater ille, personaliter sumptus, ex quo sunt omnia, ille non est vnus Deus altissimus.

Filius Dei non est pater ille, personaliter sumptus, ex quo sunt omnia;

E. Filius Dei non est vnus Deus altissimus, negatur maior, quia eadem numero essentia diuina non patri solum, sed filio etiam atque spiri-





tui S. competit (§. 55.). Sub hac limitatione, quam testibus S. scripturæ II. cc. negare non potest Wiffowatius, probatio præmissarum, ab ipso sine eadem data, ad nos non attinet. Nempe si concedamus, Paulum 2. Cor. II. 9, 6. vnum illum Deum patrem, ex quo sunt omnia, intelligere personaliter, utique Iesus Christus ab illo distinguendus fuit, quia hic non est pater sed realiter ab eo, tanquam genitus a gignente, differt (§. 77.). Neutiquam autem inde, eum Deum non esse, sequitur. Nec obstat, quod Paulus Iesum Christum dicat tantum: *Dominum unum, per quem omnia.* Dominium enim diuinitati non opponitur Ioh. XX, 28. Nec particula *per* necessario causam secundam & mediam significat, dum sæpe etiam sumitur pro principali (§. 41. Sch. 1.), & de filio Dei adhibita potius ordinem agendi in diuinitate indicat (§. 63.). Unde nec ex eo, quod Deus sc. pater per filium agat, ad negandam huius diuinitatem concludi potest.

*Responsio Leibnitii ad argumentum Wiffowatii secundum, quæ est continuatio superiorum prima.*

(i) Argumentum secundum, ut formale sit, sic formandum est:

Qui est ille, qui nesciuit diem iudicii, is non est ille, qui est Deus altissimus.

Filius Dei nesciuit diem iudicii. Ergo Filius Dei non est ille, qui est Deus altissimus.

Et sic negatur Maior. Nam potest quis ex nostra hypothese simul esse ille, qui nescit diem iudicii, nempe homo, & ille, qui est Deus altissimus. Quæ hypothesis nostra, quod idem simul possit esse Deus & homo, quamdiu non evertitur, tamdiu contrarium argumentum petit principium. Quidlibet autem possibile præsumitur, donec contrarium probetur.

(k) Interpretes textum contorquentes nihil ad nos, vtri plus textum torqueant, & ex pluribus interpretationibus possibilibus eligant improbabiliorem, dummodo sibi fauceat, alibi demonstrandi occasio erit.

(l) Vulgatam hanc responsionem, neque qui se Catholicos, neque qui Evangelicos, neque, qui Reformatos vocant, quod sciam, auersantur.

(m.) Disparata neque de se, neque de eodem tertio prædicari non posse plane nego, dummodo, quæ circa copulam admonuimus, seruentur. Et si enim minus bene dicatur, ferrum est lignum, & anima

anima est corpus: tamen potest casus contingere, in quo recte dicatur: quoddam quod est ferrum, (scilicet ex parte) id est lignum (scilicet ex alia parte). Nec absurdum est, eundem esse & non esse Deum altissimum pro diuersis partibus; nec video, cur non pars de toto proprie prædicari possit dummodo reduplicatio addatur, vel subintelligatur. Proprie enim totum nihil aliud est, quam singulæ partes de eodem prædicatæ cum vnione v. g. Homo est anima & corpus. Quicquid autem anima & corpus est, illud utriusque est anima & idem utriusque corpus. Quidni liceat resolvere copulationem in duas simplices: Homo est anima, & homo est corpus? Igitur similiter, si ex nostra hypothese, Christus est vnum ex Deo & homine licebit dicere: Christus est Deus & homo, & ita: Christus est Deus & Christus est homo.

(m 2.) Quod obiicitur, inconueniens esse, vt Christus simpliciter intelligatur dixisse, se nescire, ideo quia pars sui inferior nesciuit, id cur inconueniens sit, non video. Inprimis eo tempore, quo functio parti inferiori ordinarie inesse solita ei subtracta est. Sciendum enim ordinarium quidem esse, vt diuinitas scientiam humanitatis sibi coniunctæ perficiat, si non per communicationem eius numero idiomatis, sicut per excitationem accidentis noui. Id tamen quod ordinarium est in statu humilitatis Christi, antequam humanitas eius reciperetur in gloriam suam, ei subtrahebatur. Quæ res multum ventilatâ est inter Theologos quosdam Lutheranos: qui & libros scripsere *περὶ ταπεινωσιν γραφίας*. Potest ea subtractio intelligi exemplo Ecstaseos, quo tempore anima functiones, quas alioqui per corpus peragit, nempe ratiocinari, cogitare, exequitur quasi separata sine corporis concursu. Eo igitur tempore durantis Ecstaseos non inepte dicetur hominem non ratiocinari, etiamsi pars eius ignobilior, nempe corpus tantum, a ratiocinatione cesset, quia functio illa, quam anima ordinarie per corpus peragit, & quam homo ordinarie efficit, quatenus ex anima & corpore vnitus est; nunc ab eo non quatenus anima & corpus est, & ita non quatenus homo est, sed tantum quatenus anima est, peragitur. Similiter igitur Christus recte dicetur aliquid nescire, quando functionem sciendi non per Deitatem cum humanitate vt alias, & ita nec quatenus Deus homo est, & ita nec quatenus Christus est, exercet.

Q 3

(n) Ad



- (n) Ad verba: an ipsi concedunt, imo concedemus filium Dei non creasse mundum &c. dummodo subaudiatur: secundum humanitatem.
- (o) Quæris 2. cur diuinitas secretum de tempore extremæ diei non communicauerit humanitati sibi tam arcte vnitæ. Ideo, inquam, quia eam nondum glorificatam humiliari & pati oportuit.
- (p) 3. Argumentaris: persona filii diuina sciuit diem iudicii. Persona filii est filius. Ergo filius sciuit diem iudicii. Concedo. Quomodo ergo nesciuit? Sciuit Deus, nesciuit homo.
- (q) 4. repetitur, quod supra obiiciebas: quod parti inferiori competit, toti non tribuendum simpliciter; responsum est supra lit. m. 2.
- (r) Obiicis 5. filium Dei nesciuisse diem iudicii, quatenus est filius Dei, quia opponitur hic patri. Resp. etiam humanitatem non inepte dici filium Dei, quamuis ei non ὁμοούσιον, quia & vos qui hominon patri negatis, tamen filium Dei dicitis.
- (s) in argumento illo negatur Minor: quod filius Dei etiam secundum Deitatem non sit pater Iesu Christi. Imo tota Trinitas recte dicetur pater Iesu Christi hominis. Ideo miror, cur opponens dicat minorem esse apud omnes in confesso.
- (t) Argumentum illud esset tale: Quicumque non facit omnia a se ipso, ille non est omnipotens. Filius Dei non facit omnia a se ipso. Ergo. Negatur maior. Perinde ac si argumentari vellem. Pater non facit omnia per se ipsum, sed per filium, vt vos conceditis. Ergo non est omnipotens. Imo sunt causæ sociæ in agendo, etsi altera sit prior natura in essendo.
- (u) Potest esse Deus altissimus etiam, qui omnia ab alio habet, quando nimirum in alterius potestate non est ipsi denegare. Et non minus filius patri, quam filio pater est necessarius. Cum enim proprie pater sit intellectiuum, filius intelligibile, & spiritus S. intellectio, & in æternis atque diuinis idem sit esse & posse, non erit intellectiuum in Deo, quod non actu intelligat; intellectio autem sine intelligibili esse non potest. Contra nullum erit intelligibile in Deo, quod non intelligatur, & ita non habeat correspondens sibi intellectiuum. Igitur vt secunda persona sine secunda esse non potest.

*Responsio nostra.*

1. Argumentum hoc Wiffowatii secundum:  
Qui nesciuit diem iudicii, is non est Deus altissimus.

Filius



Filius nesciuit diem iudicii.

Filius non est Deus altissimus; quemadmodum ex superioribus (§.112.Sch.I.n.7.) patet, restringo ita: Quicumque nesciuit diem iudicii, is, quatenus illum nesciuit, non est Deus altissimus.

Filius nesciuit diem iudicii.

E. Filius, quatenus illum nesciuit, non est Deus altissimus.

Scilicet dum in Christo duplicem, & diuinam & humanam naturam, præeunte scriptura, credimus & defendimus, quarum posterior, quam nec negat Wiffowatius, omniscientiam *in se* non habet, non obstat quidquam, quin hancce ignorantiam ad eam, salua Christi diuinitate omniscia, restringamus, & ita totum argumentum concedamus. Nec obstat, quod Christus, *solum patrem illum diem cognoscere*, dicat Matth. XXIV, 36. vt inde nec secundum diuinitatem Christum illum diem scire adeoque plane carere diuinitate, concludas. Nam dum pater, filius & spiritus S. eundem numero intellectum habent (§.94.), per particulam illam exclusiuam nec filius, nec spiritus S. a cognitione illa excludi potest, maxime cum filius, in sinu patris existens Ioh. I, 18. vnus cum eo sit Ioh. X, 30. 33., eique pater ostendat omnia, quæ facit Ioh. V, 20; & quia alias ob similem de spiritu S. locutionem I. Cor. II, 11. quod *ille solus sciat, quæ in Deo sunt*, de patre etiam omniscientia, & hinc diuinitas neganda esset; quod nullo tamen modo potest fieri.

2. Quia ad illa, quæ in seqq. a Wiffowatio dicta sunt, iam respondit Leibnitius, pergo statim ad syllogismum in hoc argumento secundum, quem ipse pro arte stringente habet Wiffowatius, hunc:

Quicumque sciuit tunc diem iudicii, is est pater Iesu Christi.

At filius, etiam secundum diuinitatem consideratus, non est pater Iesu Christi.

E. Filius, etiam secundum Deitatem consideratus, non sciuit diem iudicii.

Nos ille non stringit. Nam in prima figura se debet habere ita:

Quicumque non est pater Iesu Christi, is tunc diem iudicii nesciuit.

Filius etiam secundum diuinitatem non est pater Iesu Christi.

E. Filius etiam secundum diuinitatem tunc diem iudicii nesciuit.

Hic autem distinguo inter Christum secundum diuinitatem & humanitatem spectatum. Hinc si ita concludatur:

Quicumque non est pater Iesu Christi, secundum diuinitatem spectati, is tunc diem iudicii nesciuit.

Filius etiam secundum diuinitatem non est pater Iesu Christi, secundum diuinitatem spectati.

E. Fi-



E. Filius etiam secundam diuinitatem tunc diem iudicii nesciuit; negatur maior. Nam quamuis solus pater dicatur scire diem illum Matth. XXIV, 36. non tamen per modo n. i. dicta, propter vnicitatem intellectus in tribus, filius & spiritus S. possunt excludi, sed excluduntur omnes, qui eiusdem non sunt participes intellectus. Si vero ita concludatur:

Quicumque non est pater Iesu Christi, secundum humanitatem spectati, is tunc diem iudicii nesciuit.

Filius etiam secundum diuinitatem non est pater Iesu Christi, secundum humanitatem spectati.

E. Filius etiam secundum diuinitatem tunc diem iudicii nesciuit; negatur minor. Nam dum productio humanitatis Christi est opus ad extra, & hinc patri Hebr. X, 5. Gal. IV, 4, filio Ioh. X, 18. I, 14. & spiritui S. commune Luc. I, 35, Deus, vt personis trinus est, potest pater Iesu Christi, secundum humanitatem spectati, & Iesus Christus secundum humanitatem illius filius, licet non *ὁμοούσιος*, appellari, prouti ipsi quoque Sociniani Iesum, qua humanitatis productionem miraculosam; a Deo factam, Deo filium dicunt.

3. Concludit Wiffowatius:

Quicumque nihil a se ipso facere potest, is non est omnipotens, & hinc nec Deus.

Filius nihil a se ipso facere potest per Ioh. V, 19.

E. filius non est omnipotens & hinc nec Deus.

Distinguo inter aseitatem, quæ ipsam essentiam, & quæ modum habendi eam concernit. Hinc si ita concludatur:

Quicumque nihil a se ipso facere potest, qua negatam ipsius essentia aseitatem, is non est omnipotens, nec Deus.

Filius nihil a se ipso facere potest, qua negatam ipsius essentia aseitatem.

E. Filius non est omnipotens, nec Deus;

negatur minor. Nam filius habet eandem essentiam, quæ a se & independens est, quam habet pater (§. 55. 62.) & hinc hoc respectu potest omnia a se, pariter ac pater, agere Ioh. V, 21. Si vero ita:

Quicumque nihil a se ipso facere potest, qua negatam aseitatem in modo habendi essentiam diuinam, is non est omnipotens, nec Deus.

Filius nihil a se ipso facere potest, qua negatam aseitatem in modo habendi essentiam diuinam.

E. Filius non est omnipotens, nec Deus;

negatur maior. Nam ad omnipotentiam non requiritur, vt aseititas, qua modum



modum habendi essentiam, adfit, sed sufficit a seitas qua ipsam essentiam. Si enim adest essentia, quæ est a se, adest etiam infinitas (§. 12.), omnes perfectiones & hinc etiam omnipotentiam inuoluens (§. 6.). Syllogismo igitur utroque modo formato, fallitur conclusio:

4. Denique hic concludit Wiffowatius:

Quicumque omnia habet non a se, sed a Deo patre sibi data, ille non est Deus.

Filius omnia habet non a se, sed a Deo patre sibi data per ll. cc.

E. Filius non est Deus.

Eadem distinctione limbo syllogismum, qua paulo ante. Si syllogismus est ita:

Quicumque omnia habet non a se, sed a patre qua ipsam essentiam, ille non est Deus.

Filius omnia habet non a se, sed a patre, qua ipsam essentiam.

E. Filius non est Deus;

negatur minor, quia, ut modo dictum, filii essentia cum essentia patris numero una est (§. 55.), & hinc dum patris essentia a se est, idem etiam de filio est dicendum. Si vero ita:

Quicumque omnia habet non a se, sed a patre qua modum habendi essentiam, ille non est Deus.

Filius omnia habet non a se, sed a patre qua modum habendi essentiam.

E. Filius non est Deus.

negatur maior, quia, a seitate qua ipsam essentiam adesse, ad Diuinitatem personæ sufficit. Nam filius & spiritus S. sunt verus Deus (§. 34. 47.), licet a seitas, qua modum habendi essentiam diuinam, illis non competat (§. 62. 72.).

*Responsio Leibnitii ad argumentum Wiffowatii tertium, quæ est secunda superiorum continuatio.*

(x) Ad argumentum tertium respondeo, concedendo totum. Deus altissimus est singulare nec prædicatur de multis, sed hoc nihil officit Trinitati. Nam is qui est Deus altissimus (seu persona Dei altissimi) potest nihilominus de multis prædicari, quia is, qui est Deus altissimus seu persona diuinitatis est vniuersale, non singulare. Ex hoc etiam apparet, quod etsi tres sint, quorum quilibet est id, quod est Deus, tamen non sint tres Dii. Non est enim ter vnus Deus ab altero distinctus, sed est ter vnus, quorum quilibet est id quod est Deus, seu ter vna persona. Igitur nec tres Dii sunt, sed tres personæ: quanquam hæc vulgo obseruata non sit temere reperire.

CARPOV. de Trinitate.

R

(y) Non



(y) Non potest dici, Deum ita strictissime unum esse, ut non dentur in eo realiter seu ante operationem mentis distincta. Si enim mens est, impossibile est, quin sint in eo intelligens, intellectum & intellectio, & quæ cum his coincidunt: posse, scire, & velle. Horum vero reale discrimen non esse implicat contradictionem. Cum enim formaliter differant; erit eorum differentia rationis ratiocinata; talis autem differentia habet fundamentum in re, erunt igitur in Deo tria fundamenta realiter distincta. Vellem huic argumento responderi. Neque hoc imperfectionem in Deo infert, quia multitudo & compositio per se imperfecta non est, nisi quatenus continet separabilitatem & ita corruptibilitatem totius, sed separabilitas hinc non infertur. Quin potius supra *lit. u.* demonstratum est, impossibile esse & implicare contradictionem, ut vna Deitatis persona sine alia existat. Nec multiplicatur Deus. Quemadmodum enim, si differunt realiter in corpore magnitudo, figura & Motus, non sequitur ideo etiam necessario tria esse corpora, vnum quantum, alterum figuratum, tertium motum. Cum idem lapis cubitalis rotundus & grauis esse possit: ita si differant realiter in mente iudicium, idea & intellectio, non sequitur tres esse mentes. Cum vna sit mens, quæ quando reflectitur in se ipsam, est id quod intelligit, id quod intelligitur, & id quod intelligit & intelligitur. Nescio an quidquam clarius dici possit.

*Responsio nostra.*

Argumentum Wiffowatii, quod hoc est:

Vnicum numero & singulare ens non prædicatur de multis.

Deus altissimus est vnicum numero & singulare ens.

E. Deus altissimus non prædicatur de multis, limbo hac ratione:

Quidquid est vnicum numero & singulare ens, quod pluribus non est commune, id non prædicatur de multis.

Deus altissimus (vel substantia diuina) est vnicum numero & singulare ens, quod pluribus non est commune.

E. Deus altissimus (vel substantia diuina) non prædicatur de multis; & ita negatur minor, quia eadem numero substantia diuina patri, filio spirituique S. est communis (§. 55.). Si vero Syllogismus formetur ita:

Quidquid est vnicum numero & singulare ens, quod pluribus est commune, id non prædicatur de multis.

Deus altissimus (vel substantia diuina) est vnicum numero & singulare ens, quod pluribus est commune.

E.



E. Deus altissimus (vel substantia diuina) non prædicatur de pluribus; negatur maior. Dum enim pluribus commune est, oppido patet, id posse etiam de pluribus prædicari. Potest res simili, sed non ultra tertium extendendo, illustrari. Fingamus domum vnã & singularem, cuius tres sint condomini. Hic licet vna sit domus & singularis, quia tamen dominium commune est, potest hoc etiam de omnibus prædicari. Videre mihi videor, quid sis excepturus. Fieri non posse, dices, vt substantia diuina sit singularis & hinc incommunicabilis (quia omne singulare est incommunicabile), & simul communicabilis. Iam suppressum est dubium (§. 86. Schol.), dum diuerso respectu Deum & communicabilem & incommunicabilem substantiam esse ostendimus.

*Responsio Leibnitii ad argumentum Wiffowatii  
quartum, que est continuatio tertia superiorum.*

(2) Formabo Syllogismum vt sit formalis ex præsuppositis:

Quicumque est Deus ille altissimus vnicus indiuiduus, est pater filii Dei Domini Iesu Christi.

Deus ille altissimus vnicus indiuiduus est filius Dei Dominus Iesus Christus.

Ergo filius Dei Dominus Iesus Christus est pater filii Dei Domini Iesu Christi.

*Responsio nostra.*

Videntur in his Leibnitianis mihi quædam deficere, dum argumentum quidem in formam redactum, responsio non adest. Est autem syllogismus Wiffowatii hic:

Deus ille altissimus vnicus, indiuiduus est pater filii Dei domini Iesu Christi.

Deus ille altissimus vnicus indiuiduus est filius Dei Dominus Iesus Christus.

E. Filius Dei Dominus Iesus Christus est pater filii Dei Domini Iesu Christi;

qui, ad figuram primam redactus, se habebit ita:

Quicumque est Deus ille altissimus, vnicus indiuiduus, ille est pater filii Dei Domini Iesu Christi.

Filius Dei Dominus Iesus Christus est Deus ille altissimus, vnicus, indiuiduus.

E. Filius Dei Dominus Iesus Christus est pater filii Dei Domini Iesu Christi.

R 2

Quia





Quia autem substantia diuina sub trino caractere hypostatico consideranda est, limbo syllogismum ita:

Quicumque est Deus ille altissimus, vnicus, indiuiduus, sub caractere paternitatis consideratus, ille est pater filii Dei Domini Iesu Christi. Filius Dei Dominus Iesus Christus est Deus ille altissimus, vnicus, indiuiduus, sub caractere paternitatis consideratus.

E. Filius Dei Dominus Iesus Christus est pater filii Dei Domini Iesu Christi.

Hic negatur minor. Falsitas enim ex terminis in aprico est. Si autem Syllogismus sit ita:

Quicumque est Deus ille altissimus, vnicus, indiuiduus, sed sine caractere paternitatis consideratus, ille est pater filii Dei Domini Iesu Christi.

Filius Dei est Deus ille altissimus, vnicus, indiuiduus, sed sine caractere paternitatis consideratus.

E. Filius Dei est pater filii Dei.

negatur maior. Nam filius & spiritus S. etiam sunt Deus ille altissimus, sed sine caractere paternitatis, vtpote qui patri soli est proprius.

*Responsio Leibnitii ad argumentum Wiffowatii quintum, quæ est continuatio quarta superiorum.*

(44) Nego, Deo altissimo aut potius ei, qui est Deus altissimus, repugnare, esse ab alio, V. supra u.

*Responsio nostra.*

Argumentum Wiffowatii, prouti ab ipso est positum, se habet ita: Filius Dei aut est a se, aut est ab alio, adeoque non est absolute primum principium, sed principiatum &c. Vid, supra. Quia autem dilemma hoc, vtpote pro quo ipse declarat Wiffowatius, non est in forma dilemmatis, in illa ex mente eius sese habebit ita:

Si datur filius Dei, qui ipse Deus sit, aut ille erit a se, aut ab alio.

Sed 1. falsum est, quod possit esse a se, & non ab alio; tunc enim non esset filius, quia filius semper a parte est.

2. falsum est, quod possit esse ab alio; tunc enim non esset Deus altissimus, quia Deus altissimus non potest ab alio esse.

E. falsum etiam est prius, sc. quod detur filius Dei, qui ipse Deus sit.

Limbo syllogismum. Si ita fiat:

Si datur filius Dei, qui ipse Deus sit, ille qua ipsam essentiam suam aut erit a se, aut ab alio;

ne-

negatur, prius ex membris consequentis, sc. quod filius Dei qua ipsam essentiam suam a se sit, falsum esse; siquidem is cum patre eandem, quæ a se est, essentiam habet (§. 62. 55.), & sic propter negatam falsitatem huius membri in consequente, falsitas antecedentis etiam corrui. Si autem ita fiat:

Si datur filius Dei, qui ipse Deus sit, ille, qua modum habendi essentiam diuinam, aut erit a se, aut ab alio;

negatur, posterius membrorum consequentis, sc. quod filius Dei qua modum habendi essentiam diuinam sit ab alio sc. a patre, falsum esse; quo negato, nec falsitas antecedentis amplius defendi potest. Quamuis enim concedamus doceamusque, filium Dei, qua modum habendi essentiam diuinam, esse a patre, non a se (§. 62.), non tamen hoc obstat diuinitati eius veræ, quia nequaquam dependentia (liceat hoc termino uti) qua modum habendi essentiam diuinam, sed ipsius essentiæ diuinitatem tollit. Nec obstat, quod dicatur, de filio, ut filio, siue persona secunda diuinitatis, non autem quatenus est essentia diuina, quæ patri & filio communis esse ponitur, sermonem esse. De filio enim, ut filio, concedimus, quod, qua modum habendi essentiam diuinam, sit ab alio, sc. a patre, falsa aseitate, quæ ratione ipsius essentiæ ipsi competit.

*Responsio Leibnitii ad argumentum Wiffowvatii  
sextum, quæ est continuatio quinta superiorum.*

(bb) Non est absurdum, Deum altissimum, aut potius eum, qui est Deus altissimus, generari. Sempiternam substantiam in tempore generari, absurdum est, non vero est absurdum, eum esse generatum ante datum quodlibet tempus, id est, ab æterno. Deo altissimo, aut potius ei, qui est Deus altissimus, potest quis prior esse natura non tempore, alius nempe, qui etiam est Deus altissimus. Nam non datur alius & alius Deus, sed alius & alius, qui est Deus.

(cc) Quando Deus Deum generat, generat eum, qui est idem numero Deus cum ipso, etsi non simpliciter sit idem numero cum ipso. Non generat eundem numero Deum, sed eum qui est idem numero Deus, licet sit alia persona.

(dd) Si filius Dei generabatur ex substantia patris ab æternitate, aut desit generari, aut non desit, si non, adhuc generatur, & ita nunquam est, semper sit: sin desit generari, finem temporis habet eius generatio. Adeoque & initium temporis, ergo non est æterna. Resp. desit gene-



generari, & tamen illa generatio non habet finem temporis, nam & incepit & desit generari ante quodlibet tempus. Simul enim generari incepit & desit

*Responsio nostra.*

N. r. huius obiectionis Wiffowatius argumentatur ita:

Quicumque secundum Deitatem generatur, ille Deus altissimus esse nequit.

Filius Dei secundum Deitatem generatur (per concessum Trinitariorum).

E. Filius Dei nequit esse Deus altissimus.

Maiorem, si fuse & confuse dicta, breuibus & distincte proponantur, probat sequenti syllogismo:

Quicumque producitur ab alio & habet principium sui saltim originis, ille nequit esse Deus altissimus.

Quicumque secundum Deitatem generatur, ille producitur ab alio, & habet sui principium saltim originis.

E. Quicumque secundum Deitatem generatur, nequit esse Deus altissimus;

in quo maiorem inde, quod Deo nullo modo prior esse possit; minorem ex notione generationis probatum it. At vero pro syllogismo hic est limitandus. Si formetur ita:

Quicumque, qua ipsam essentiam suam, producitur ab alio, & habet principium sui saltim originis, ille nequit esse Deus altissimus.

Quicumque secundum Deitatem generatur, ille, qua ipsam essentiam suam, producitur ab alio, & habet principium sui saltim originis.

E. Quicumque secundum Deitatem generatur, ille nequit esse Deus altissimus;

negatur minor. Quod si vero formetur ita:

Quicumque, qua modum habendi essentiam diuinam, producitur ab alio & habet principium sui saltim originis, ille nequit esse Deus altissimus.

Quicumque secundum Deitatem generatur, ille, qua modo habendi essentiam diuinam, producitur ab alio, & habet principium sui saltim originis.

E. quicumque secundum Deitatem generatur, ille nequit esse Deus altissimus;

negatur maior. Nam ut quis, sc. qua ipsam essentiam, Deus altissimus fit,

fit, non obstat, quod, qua modum habendi illam, (ab æterno & necessario) productus & ab alio fit, habeatque principium sui saltim originis. Cum igitur utroque modo propter falsitatem vnius præmissarum corruat conclusio, corrumpit etiam maior syllogismi primi, conuenienterque nec conclusio eius amplius salua esse potest.

N. 2. huius argumenti Wiffowatius, si argumentum in formam redigamus, concludit ita:

Si Deus Deum generat, aut generat eundem numero Deum, qui ipse est, aut alium.

Sed non eundem, quia generans & generatus sunt opposita, non vnum & idem; nec alium, quia alias non vnus esset numero Deus altissimus;

E. falsum est, quod Deus Deum generet.

Remouebo istum huius argumenti per id, quod dictum supra (§. 112. Sch. 3.), sc. quod vox Deus interdum essentialiter, interdum personaliter sumatur. Hinc limbo syllogismum ita:

Si Deus essentialiter sumptus, generat Deum, essentialiter sumptum, aut generat eundem numero Deum, qui ipse est, aut alium.

Sed falsum est posterius vtrumque per rationes supra dictas.

E. etiam prius.

Ita conceditur totum argumentum. Si autem ita concludatur:

Si Deus, personaliter sumptus, generat Deum, personaliter sumptum, aut generat eundem numero, aut alium.

Sed falsum est, quod generet eundem numero, quia generans & generatus sunt diuersa; & falsum est, quod generet alium, quia alias non vnus esset numero Deus personaliter sumptus altissimus.

E. falsum est etiam antecedens, quod Deus, personaliter sumptus, generet Deum, personaliter sumptum;

negatur, posterius ex membris consequentis falsum esse. Concedimus enim, Deum, personaliter sumptum, numero non esse vnum, sed tres esse diuinitatis personas (§. 92.); licet essentia diuina, eadem numero, omnibus tribus communis sit (§. 55.). Propter negatam igitur falsitatem vnius ex membris consequentis, falsitas etiam antecedentis per se corrumpit.

N. 3. huius argumenti alio Wiffowatius veritatem petis dilemmate, quod ita se habet:

Si filius Dei generabatur ab omni æternitate ex essentia Dei patris, aut iam desinit generari, aut non desinit.

Sed



- Sed 1. falsum est, quod iam desierit, quia alias finem temporis haberet hæc generatio, quo concesso, principium temporis etiam habere debuisset, adeoque nec æterna fuisset; Siquidem quod nunquam incepit, id nec desinere potest.
2. Falsum est, quod non desierit, quia alias filius Dei qua diuinitatem etiam nunc generaretur & porro in omnia secula generandus esset; quo concesso, semper fieret, nondum perfectus esset; quod personæ Dei esset inconueniens.
- E. Falsum etiam est antecedens sc. quod filius Dei generetur ab omni æternitate ex essentia Dei patris.

Nolo hic vrgere, falsitatem prioris membri in consequente minus recte esse probatam a Wiffowatio. Quia enim, quod vitæ æternæ exemplo constat, fieri potest, vt quod initium temporis habet, non tamen finem habeat; sic nec impossibile videtur esse, vt aliquid, quod caret initio temporis, finem tamen habeat; quo posito, non inconueniens esset, vt generatio filii facta quidem esset ab æterno, & tamen desuisset. Respondeo autem, posterius membrum in consequente falsum non esse. Generatio filii Dei dum est absolute necessaria (§. 57.), non potest non etiam æterna esse (§. 59.), vnde per se patet, eam, vti facta est ab æterno, ita fieri adhuc & futuram esse sempiternam. Frustra etiam obiicit Wiffowatius, ita filium Dei esse imperfectum. Actus enim absolute necessarius potest æternus & consummatus esse, quod exemplo representationis in intellectu diuino supra (§. 59. Sch. 4.) iam est ostensum. Vnde patet, nec propter æternitatem generationis filium Dei imperfectum dicendum esse, quia ipsa generatio semper est perfecta.

*Responsio Leibnitii ad argumentum Wiffowatii  
septimum, quæ est continuatio superiorum sexta.*

- (ee) Quæris: an tota, an non tota Trinitas sit incarnata? Res. non tota. Ergo inquis, Trinitas a se diuisa est s. diuersa continet. Quid tum? E. & Deus a se diuisus est; Hoc non sequitur, sed diuisi a se s. differentes sunt illi, qui sunt Deus.
- (ff) Syllogismum formas:  
Deitas, quæ est in Deo Patre, non est incarnata.  
Deitas, quæ est in Deo filio, est incarnata.  
E. Deitas, quæ est in Deo filio, non est Deitas ea, quæ est in Deo patre.  
E. dantur plures Deitates.  
Nego minorem. Non Deitas sed personalitas potius filii Dei incarnata est, i. e. filius Dei incarnatus est non qua Deus, sed qua filius.

(gg) No-



(gg) Nodos Te propofuisse non nego, & quidem quantos maximos quispiam tui similis possit. Reperto simul principio fili, id est, natura Copulæ propositionis in Syllogismo, videtur nobis eos perfecte soluisse. Idem Tibi visum iri, si recte attendas, non dubito. Tum vero dabis, opinor, gloriam Deo, dabis hoc veritati & sententiam orbi Christiano tot seculis receptam non absurdam confitebere. Sin aliter sentis? effice, vt aut nos, cur dissentias, aut tu, cur dissentire non debeas, ambo tandem sentiamus.

*Responsio nostra.*

Supereft vltimus Wiffowatii idus, quem si superauero,

Adspice, num mage fit nostram penetrabile telum.

Format dilemma nouum, quod in forma tale est:

Si Deus altissimus est incarnatus, aut tota Trinitas, seu quidquid est Deus altissimus, est incarnata, aut non tota.

Sed 1. falsum est, quod tota, quia alias non tantum filius Dei, sed etiam Deus pater & spiritus S. sunt incarnati & nati ex Maria virgine, quod tamen falsum est.

2. falsum etiam est, quod non tota diuina Trias incarnata, sed sola persona filii; alias enim Deus indiuisibilis, vnus, & simplicissimus esset diuisus; quam consequentiam hoc probare nititur syllogismo:

Illa Deitas, quæ est in patre, non descendit de cælo nec est incarnata.

Hæc Deitas, quæ est in Deo filio, descendit de cælo & est incarnata.

E. Hæc Deitas, quæ est in Deo filio, non est illa Deitas, quæ est in Deo patre;

E. Falsum etiam est antecedens, quod Deus altissimus sit incarnatus.

Respondeo, negari falsitatem membri posterioris in consequente. Verum est, quod non tota diuina Trias incarnata, sed sola persona filii. Deus igitur, inquis, indiuisibilis, diuisus est. Non Deus, essentialiter sumptus, diuisus est, sed illi, quibus essentia diuina competit, sunt realiter & citra mentis operationem distincti vel diuersi (§. 77.). Quod attinet autem ad syllogismum, in medium productum, ille in prima figura ita se habebit:

Quæcunque Deitas de cælo descendit, & incarnata est, illa non est Deitas, quæ est in Deo patre.

Deitas, quæ est in Deo filio, est illa Deitas, quæ descendit de cælo & incarnata est.

E. Deitas, quæ est in Deo filio, non est Deitas, quæ in Deo patre est.

Nihil obstat, quin sano sensu totum hunc syllogismum concedam.

CARPOV. de Trinitate.

S

Equi-



quidem cum eadem numero substantia diuina sit omnibus tribus diuinitatis personis communis (§. 55.), Deitas etiam, quæ est in Deo filio, essentialiter sumpta, est eadem Deitas, quæ in Deo patre est. Sed aliter hæc Deitas in patre est, aliter in filio; in illo quidem sub paternitatis, in hoc sub filiationis caractere. Et dum Deitas incarnata dicitur; quia filius tantum, non pater, nec spiritus S. incarnatus est, de Deitate sub caractere filiationis illud est intelligendum. Hinc si syllogismus intelligatur ita:

Quæcunque Deitas de cælo descendit & incarnata est, illa non est Deitas, quæ est in Deo patre.

Deitas, sub caractere filiationis spectata, quæ est in Deo filio, est illa Deitas, quæ descendit de cælo, & incarnata est.

E. Deitas, sub caractere filiationis spectata, quæ est in Deo filio, non est Deitas, quæ est in Deo patre;

conceditur totum argumentum, quia Deitas, quæ in Deo patre est, non sub caractere filiationis, sed paternitatis est spectanda. Si autem syllogismus ita formetur:

Quæcunque Deitas de cælo descendit & incarnata est, illa non est Deitas, quæ est in Deo patre.

Deitas, essentialiter spectata, quæ est in Deo filio, est illa Deitas, quæ descendit de cælo & incarnata est.

E. Deitas, essentialiter spectata, quæ est in Deo filio, non est illa Deitas, quæ est in Deo patre;

negatur minor. Non enim Deitas filii essentialiter, quatenus omnibus tribus communis est, sed personaliter, i. e. sub caractere filiationis spectata, assumpta natura hominum, est incarnata. Vnde oppido patet, nec conclusionem ita amplius saluam esse posse. Nihil iam igitur in omnibus Wiffowatii, licet intricatissimis dubiis superest, ad quod non plene, & quod magis est, in forma semper sit responsum. Ictus sunt declinati, tela repressa! Triumphat inuicta veritas! Ratio non obstat reuelationi, non reuelatio rationi! Adest consensus! adest vtriusque vinculum fororium!

DEVS ALTISSIME,  
QVI VNVS TRINVS, QVI TRINVS VNVS  
ES,  
CONSERVA NOS IN HAC ET OMNI  
ALIA VERITATE AD SALVTEM.  
VERBUM TVVM EST VERITAS.  
AMEN!

INDEX





# INDEX RERVM, VT ET QVORVNDAM

S. Scripturæ locorum, vberius explicatorum.

A.  
A se ens  
quid sit? §. 7. existit absolute necessario & habet rationem existentiae in essentia §. 7. cur existat? §. 7. Schol. an tale detur? §. 8. est independens §. 9. habet perfectiones summas §. 10. & omnes compossibiles §. 11. est ens infinitum §. 12. est tantum vnicum §. 14.  
Actus personales quid? quanam? quot? §. 95.  
sunt actus per eminentiam §. 95. Sch. conuenientia & discrepantia illorum §. 96. sunt actus ad intra §. 96. Sch. 2.  
Aequalitas personarum in diuinitate §. 76. Sch. 3.  
Aseitas quomodo competat filio Dei §. 62. 33.  
quomodo spiritui S. §. 72.  
quomodo patri §. 74.  
Attributum quid sit §. 4.  
Attributa essentialia numero eadem competunt patri, filio & spiritui S. §. 94. Sch. 4.

C.  
Clericus refutatur §. 41. Sch. 2.

Creatio est actio soli Deo propria §. 23.  
competit filio Dei §. 41. vt & spiritui S. §. 49.  
Col. II, 2. explicatur §. 33. Sch. 2.  
I, 16. explicatur §. 41. Schol. 2.  
Contingens ens quid sit? §. 15.  
Conseruatio est actio soli Deo propria §. 24.  
competit filio Dei §. 41. vt & spiritui S. §. 49.  
Concurfus generalis est actio soli Deo propria §. 25.  
competit filio Dei §. 41. vt & spiritui S. §. 49.  
D.  
Dependens quid dicatur? §. 9. canon de dependentia §. 62. Sch. 2.  
Deus existit §. 16.  
attributa eius quaedam §. 17. 18.  
quanam attributa ei soli propria sint §. 19. est spiritus a se §. 21.  
in quo essentia eius consistat? §. 22. est Dominus supremus §. 28.  
est pater filius & spiritus S. §. 29.  
cur ei tribuatur pluralitas? §. 78.  
vbi id fiat? §. 78. Sch. I. est substantia §. 84. eaque communis §. 85. singularis §. 86. & completa §. 87. sed non suppositum  
S 2





- tum §. 88. an ex parte suppositum sit? §. 88. Sch. 2. an sit vnica persona? §. 89. est personis trius §. 92. an Deum non vt trinum colens, colat verum Deum? §. 104. Sch. 2. sumitur vel essentialiter vel personaliter §. 112. Sch. 3.
- Dei vnitas a quibus negata? §. 114.
- Durandus refutatur §. 58. Sch. 4.
- E.
- Elohim, an hæc vox originem idolatricam habeat? §. 78. Sch. 2.
- Essentia entis quid sit? §. 4. Dei in quo consistat? §. 22. diuina, cui competat? §. 34. 45.
- F.
- Filius Dei an possit verus Deus esse, si pater non esset Deus? §. 30. Sch. 2. ei competunt attributa soli Deo propria §. 33. est verus Deus §. 34. 42. habet omnia attributa diuina §. 35. speciatim æternitatem, immutabilitatem &c. §. 36. in S. scriptura Deus vocatur §. 37. 38. & quidem in sensu proprio §. 39. quo sensu dicatur Deus proprie talis? §. 39. Sch. 1. & *ἀληθινός*? §. 39. Sch. 2. quo sensu Sociniani filium Dei Deum vocari dicant? §. 40. quo sensu eum Deum proprium dicant? §. 40. Sch. 1. ei competit creatio, conseruatio & §. 41. vt & summum Dominium §. 43. & cultus religiosus §. 44. habet essentiam diuinam communicatam a patre per generationem §. 56. Sch. 1.
- feqq. an patri similis sit? §. 60. an patrem pro principio habeat? §. 61. & eius principiatum sit? §. 61. Sch. 2. quomodo a se sit? §. 62. an sit a patre dependens? §. 62. Sch. 2. an sit *ἀυτόθεος*? §. 62. Sch. 3. an sit effectus patris? §. 62. Sch. 4. an agat a se? §. 63. cur ad inspirationem spiritus S. concurrat? §. 71. Sch. 3. quo sensu sit secundus in diuinitate? §. 76. est suppositum §. 91. & persona diuinitatis §. 92. Diuinitas eius, a quibus negata? §. 110. 112. dubia contra eius diuinitatem soluta §. 12. 112. Sch. 1.
- G.
- Generatio quid sit? §. 56. Sch. 5. an generatio filii Dei sit propria? §. 56. Sch. 7. est absolute necessaria §. 57. e patris natura fluens §. 58. est æterna §. 59. an bis facta? §. 59. Sch. 3. an consummata? §. 59. Sch. 4. eius differentia a generatione humana §. 59. Sch. 6.
- Græca ecclesia, eius sententia de processione spiritus S. §. 115.
- H.
- Hermeneutica S. quid sit? §. 20. Sch.
- Hypostasis quid sit? §. 88. tres sunt in Diuinitate hypostases §. 19. Schol. 1. an hæc vox ex Philosophia Platonica sit? §. 91. Sch. 2. est ambigua §. 91. Sch. 3. rectius sumitur pro supposito, quam pro essentia §. 91. Sch. 4.

Ieho.

I.  
Iehoua est nomen soli Deo propri-  
um eique essentiale §. 37. Schol.

I.  
Ier. XXIII, 5. 6. explicatur §. 37.  
Sch. 2. 3.

Infinutum reale ens quid sit §. 5.  
habet perfectiones omnes com-  
possibiles & summas §. 6. est tan-  
tum vnicum §. 13.

Intellectus in Deo vnus tribus per-  
sonis communis §. 94.

Ioh. XIX, 3. explicatur §. 30. Sch.  
I. c. l. I. seqq. explicatur §. 36.  
Sch.

V, 27. explicatur §. 43. Sch.

V, 26. explicatur §. 56. Sch. I.

IIIX, 25. explicatur §. 51. Sch. I.

I. Ioh. V, 7. vindicatur & explicatur  
§. 55. Sch. 2. 3.

## L.

Leibnitius, eius responsio ad Wisso-  
watii epistolam contra Trinita-  
tem §. 120. eius sententia de my-  
steris §. 108. Sch.

Λόγος pro filio Dei sumptus §. 29.  
varia de illo quaestiones solutæ §.  
29. Sch. 2. cur filius Dei ita dica-  
tur? §. 29. Sch. 3.

Lyserus refutatus §. 119.

## M.

Maria an quarta Diuinitatis perso-  
na? §. 92. Sch. 5.

Mich. V, I. explicatur §. 59. Sch. I.

Miraculorum productio soli Deo  
propria est §. 27. competit filio  
Dei §. 41. vt & spiritui S. §. 49.

Mundus est ens contingens §. 15.

Mysterium quid sit? §. 107. de eo  
generalia notanda. §. 108. Sch.

## N.

Notio personalis quid sit? §. 100.  
quænam sint? §. 101. quot sint? §.  
102.

## O.

Όνομα in Diuinitate quid deno-  
tet? §. 92. Sch. 6.

Omnisapientia competit filio Dei  
§. 33.

vt & spiritui S. §. 46.

Omniscientia competit filio Dei §.  
33.

vt & spiritui S. §. 46.

Omnipræsentia soli Deo propria est  
26.

competit spiritui S. §. 46.

Ordo personarum in Diuinitate  
qualis sit? §. 76.

## P.

Pater in diuinitate est verus Deus §.  
30.

Pater, filius & spiritus S. habent ean-  
dem numero essentiam diuinam  
§. 55. an habeant eandem specie  
essentiam? §. 55. Sch. 4.

Pater essentiam suam diuinam com-  
municat cum filio per generatio-  
nem §. 56. Sch. I. seqq.

non communicauit cum filio pa-  
ternitatem §. 56. Sch. 3. generat  
filium absolute necessario §. 57. &  
volens voluntate personali §. 58.  
Sch. I. seqq. an intelligendo ge-  
neret filium? §. 58. Sch. 5. vel  
per nudam potentiam generandi  
§. 58. Sch. 6. est principium fi-



- lli §. 61. an causa filii sit? §. 62.  
 Sch. 4. quomodo habeat essen-  
 tiam diuinam? §. 64. quomodo  
 a se sit? §. 74. quo sensu sit inge-  
 nitus & innascibilis; §. 74. Sch. 3.  
 quo sensu sit principium totius  
 Diuinitatis? §. 74. Sch. 3. an agat  
 a se? §. 75. quo sensu sit primus  
 in Diuinitate? §. 76. est supposi-  
 tum §. 91. & persona diuinitatis  
 §. 92.  
 Persona quid sit? §. 89.  
 tres sunt in Diuinitate §. 92.  
 an tres personæ Diuinitatis sint  
 tres ad creaturas relationes? §.  
 92. Schol. 1.  
 personæ diuinæ quomodo conci-  
 piendæ? §. 92. Sch. 3.  
 & a se inuicem distinguendæ?  
 §. 92. Sch. 4.  
 personalitates in Deo tres §. 93.  
 personarum in Diuinitate defini-  
 tiones §. 103.  
 earum distinctionem realem qui-  
 nam negauerint? §. 113.  
 earum ordo §. 76.  
 æqualitas §. 76. Schol. 3.  
 an detur earum subordinatio? §.  
 76. Schol. 4.  
 earum differentia realis §. 77.  
 sunt *ἀλλος ἢ ἄλλος*, non *ἀλλο*  
*ἢ ἄλλο* §. 77. Sch. 2.  
 quomodo differentia earum rea-  
 lis influat in modum colendi  
 Deum? §. 77. Sch. 5.  
 Principium contradictionis §. 1.  
 rationis sufficientis §. 2. an patia-  
 tur exceptionem? §. 3. Sch. 2.  
 an initium tractationis ab his  
 principiis faciendum? §. 2.  
 Sch. 2.  
 Progressus rationum in infinitum an  
 admittendus? §. 3.  
 Proprietas personalis quid? §. 97.  
 quænam sint? §. 98.  
 quot sint? §. 99.  
 dicuntur etiam relationes §. 99.  
 Sch. 1.  
 Pl. II, 7. explicatur §. 56. Schol. 6.  
 §. 59. Schol. 2.  
 R.  
 Regulæ ad recte loquendum in do-  
 ctrina de Trinitate §. 71. Sch. 2.  
 Roellius refutatus in doctrina de ge-  
 neratione Filii §. 56. Sch. 8. §.  
 62. Schol. 2.  
 S.  
 Scriptura S. quomodo diuina eiu-  
 origo ostendi debeat? §. 20.  
 Spiritus S. est idem cum Spiritu Dei  
 §. 29. Schol. 1.  
 ei competunt attributa soli Deo  
 propria §. 46.  
 est verus Deus §. 47. 50.  
 an sit angelorum præcipuus vel  
 coetus angelorum honorum?  
 §. 47. Sch.  
 ei competunt omnia attributa  
 diuina §. 48.  
 vt & opera diuina §. 49.  
 vocatur in S. Scriptura Deus §.  
 51. 52.  
 idque sensu proprio §. 53.  
 est cultu religioso prosequendus  
 §. 54.

quomo-



quomodo habeat essentiam diuini-  
nam? §. 65.  
scil. per spirationem §. 66.  
an procedat a Patre per Filium?  
§. 66. Schol.  
an habeat voluntatem persona-  
lem? §. 68.  
an generetur a Patre Filioque?  
§. 68. Sch. 5.  
an processio eius & missio ad ho-  
mines sint idem? §. 68. Sch. 6.  
habet Patrem & Filium pro prin-  
cipio §. 71.  
an sit a se? §. 72.  
an sit dependens & *ἀπόθεος*?  
§. 72. Sch.  
an agat a se? §. 73.  
quo sensu nec genitus nec in-  
genitus? §. 74. Sch. 2.  
quo sensu sit tertius in Deitate?  
§. 76.  
est suppositum §. 91.  
& persona diuinitatis §. 92.  
diuinitas eius a quibus negata?  
§. 111. 112.  
dubia contra Diuinitatem eius  
soluta §. 111. Sch. §. 112. Sch. 2.  
a solo Patre eum procedere, do-  
cet ecclesia Græca §. 115.  
Spiratio est necessaria §. 67.  
ex Patris Filioque natura fluens  
§. 68.  
est æterna §. 69.  
an fiat ab humana Christi na-  
tura? §. 70.  
Spirator in diuinitate quomodo  
concipiendus? §. 71. Sch. 1.  
Subordinatio personarum in Diui-

nitate an detur? §. 76. Schol.  
4.

Substantia quid sit? §. 83.  
quid communicabilis & incom-  
municabilis? §. 85.  
quid completa & incompleta §.  
87.  
quid singularis? §. 86.  
Suppositum quid sit? §. 88.  
notio illius euoluitur §. 88. Sch.  
1.

## T.

Termini ecclesiastici quid de illis  
notandum? §. 83. Sch.

## Trinitas

doctrina de ea capita summa  
§. 79.  
quæ exstant in V. T. §. 80.  
fuit in V. T. cognita §. 81.  
eius vestigia sunt in libris apo-  
cryphis §. 81. Sch. 1.  
an primi parentes eam cognoue-  
rint? §. 81. Sch. 2.  
an Patres Ecclesiæ Ante-Nicæni  
§. 81. Sch. 3.  
an sit ex schola Platoniorum §.  
81. Sch. 4.  
est ad salutem creditu necessaria  
§. 82.  
cur Deus eam in S. scriptura re-  
uelauerit? §. 82. Sch.  
an consistat in trina Dei ad crea-  
turas relatione? §. 92. Sch. 1.  
asseritur ex Matth. XXIX, 19.  
§. 92. Sch. 2.  
an ex ratione cognoscatur? §.  
104.  
quinam ex ratione ostendere  
volue-

INDEX RERVM.

- voluerint? §. 104. Schol. I.
- Trinitatis similitudines §. 105.  
non contra, sed supra rationem est §. 106.  
est mysterium §. 107.  
an mysterium sit qua numerum personarum trium? §. 107. Sch.  
an ideo neganda, quia mysterium est? §. 108.  
quotuplices sint errantes in Doctrina de Trinitate? §. 109.  
dubia contra Trinitatem soluta §. 112. Sch. 3. & §. 12.
- Trinitas conciliatur cum canone Logico: *quaeunque sunt eadem cum vno tertio, ea sunt eadem inter se* §. 116.
- vt & cum canone *pars non potest esse equalis toti* §. 119. V.
- Veritas supra rationem quid sit? §. 106.
- Voluntas personalis qua generationem filii, eius affectiones §. 58. S. hol. 2.  
differentia voluntatis personalis a voluntate essentiali §. 58. Schol. 3.
- Voluntatis personalis qua spirationem affectiones §. 68. Sch. 1. 2.
- Voluntates personales quot sint §. 68. Sch. 3.
- W.
- Wissowatius, eius epistola contra Trinitatem §. 120.

